172/6

TRACTATVS ALIQVOT CHRISTIANÆ RELIGIONIS, QVOS sequens pagina indicat.

RÁSKAI CSI SIMÉN DOMOKOS

Luc. 1. ℣ 6.

Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis, & iustificationibus domini sine querela.

INGOLSTADII
Anno CIↃ IↃ XXCIII.

Ordo tractatuum in hoc libello.

I. Confutatio obiectionum, quarũ facta est mentio, in fine epistolę præfixæ, libello Ioannis Sommeri.

II. De Iustificatione hominis coram Deo.

Item propositiones de eadem, vna cũ responsione Seniorum: Et confutatio respõsionis autore Ioanne Sommero .

III. Scopus septimi capitis ad Romanos, Adami Neuseri.

IIII. Declamatiuncula contra prædestinationem Neotericorum.

V. Declamatio contra Baptismum adultorum. Ioan. Sommeri.

VI. Theses, de Deo Trino in personis, vno in essentia, ex fundamentis eius desumptæ.

Ad Lectorem. 2

LIBRVM Ioannis Sommeri, in quo doctè respondet ad nugas Petri Carolii, vbi intellexi-mus non sine magno fructu à multis lectum & approbatum, quem anno superiore in vestram gratiam excudi curauimus, duximus esse nostri officii, vt in eodem opere sancto pergeremus, ne quid in nobis desideraretur, in promouenda gloria Dei. Quare nunc vobis damus, in præsenti opere, confutationem obiectionum, quorũ meminimus in fine epistolę præfixæ refutationi nugarum Petri Carolii. Ioannis Sommeri scriptum de Iustitia hominis coram Deo & reliquis, quæ suo ordine sequentur. Hæc vero à nobis emittuntur in publicum, ea spe, vt non mino-

ri alacritate ſuſcepturi ſitis, quàm præcedentia. Nam præterito negotio trinitatis, nihil eſt, quo maiori cum periculo peccatum ſit: Hinc eſt, quod omnia bona opera, plane inter Chriſtianos, perierint, ac ſine omni metu, omnis generis peccatis, ſit indultum. Quia verò receptæ doctrinæ, in mundo, auerſantur, & ob id vt impia damnantur, ideo fundamenta vnde extructa eſt hæc doctrina oſtẽdere neceſſum eſt. Sunt autem Liberum arbitrium, finis legis, premium & pœna, atque neceſsitas exponendi ſcripturam ſecundum analogiam fidei. Lex in genere habet liberum arbitrium, & finem, non quatenus eſt diuina, ſed tantum quatenus eſt lex, premium & pœ-

& pœnam verò quatenus eſt diuina. Finis autem eſt vita æterna, teſte Paulo dicens: Lex quæ mihi data eſt ad vitam &c. Item, Lex promittit vitam, ſed facientibus. Præterea premium & pœna legis diuinæ ſunt, prẽter ea quę lex promittit, vel minatur, vita & mors æterna. Hinc Apoſtolus: Stipendium peccati mors eſt, iuſtitia autem vita. Hęc fundamẽta ſine deſtructione totius legis negari non poſſunt, ideo ſcriptura noui fœderis ſic explicanda eſt, vt hæc incuſſa maneant. Cum hæc viri pii conſiderarent, omnem lapidem mouerunt, vt hanc viam ſequendam aliis proponerent. Quis enim non videt, Seruum arbitrium, & Iuſtitiam imputatiuam per Chriſtum,

stum, cum prædestinatione ac æ-
terna Dei electione in Christo ad
vitam, ita intellecta, vt hactenus
factum est, planè destruere liberũ
arbitrium, premium ac pœnam,
atq; finẽ totius legis diuinæ. Qua
re bonorum virorũ conatus lau-
dand⁹ est, cum in explicanda scri
ptura ab analogia fidei nõ recesse
rint. Quia verò ista fusius propo-
nuntur, nolumus immorari in his
declarandis, ne fastidium pariat
lectori, & Deo dante, omnia or-
dine publicabimus, faxit Deus vt
opus inceptum sorciatur finem
optatum.

TRACTATVS PRIMVS.

Confutatio obiectionum, quorum facta est mentio, in fine epistolæ præfixæ, libello Ioannis Sommeri.

HÆC pauca præfati finem imposuissemus, nisi venisset nobis in mentem, quòd ante annum promisissemus solutionem eorum, quæ adferri solent ab aduersariis ad probandum penes Hebræos planè nullam esse in sententiis veritatem, nedum vt ab iis veritas in iis peti possit, quod nos asseruimus. Quoniam autem ea, quæ obiici solent, peti ex fine præfationis libro Ioannis Sommeri contra Carolium præfixę, possunt, tantùm paucis hic percipe eorum solutionem. Quod attinet ad hostilitatem, quam habent infideles Hebræi in hodiernum vsque diem erga Iesum christum, cum superiꝰ dictum sit, fuisse inter reliquos articulos fidei populi Hebræorum etiam hunc, qui dictus fuit aduentus Messiæ, atque etiam monstratum sit scripta noui fœderis duntaxat in eo explicando occupata esse, vt potè illo, in quo tota lis & contentio, quæ

inter Iesum & infideles Hebræos fuit, cõ
sistat, manifestum esse potest, eam nullam
vel minimam occasionem Hebræis infi-
delibus præbuisse corrumpendi doctri-
nam fundamentorum legis & eorum ra-
dicum, cæterorumq; articulorum fi-
dei, cum ea salua & incolumia esse pos-
sint, etiam hoc articulo fidei, qui est ad-
uentu Messiæ planè è medio sublato, quẽ-
admodum constat ex natura fundamen-
torum, radicum & articulorum fidei. Ad
hæc, quod ad hunc prædictum articulũ
fidei attinet, si verum fateri volumus, di-
cendum est, contentionem illam acerri-
mam, quę fuit inter Iesum et infideles He
bræos non potuisse præbere ipsis ansam
falsò explicandi scripturæ dicta, quæ lo-
quuntur de Messia. Siquidem inter illos
non controuersum fuit, an illa vel illa di
cta loquerentur de Messia, nec de eorum
expositione, sed tantùm an Iesus sit ille
Messias, de quo loquantur illa scriptu-
ræ dicta & traditio, quod Iesus affirma-
uit, ipsi verò constanter negarunt & ad-
huc negant. De dictis enim illis, quæ de
Messia loquuntur, atque etiam de eorun

dem

dem expositione summus inter ipsos fu-
it consensus, vt etiam hoc nostro tempo
re inter sapientes ipsorum, qui scriptu-
ram sacram explicuerunt, & inter scri-
pta noui fœderis rectè explicata. Dem-
pto enim hoc, quòd ipsi asserunt, Iesum
non esse Christum, ne latum quidem vn-
guemà mente Euangelistarum recedunt,
vt iis notum est, qui ipsorum scripta le-
gere possunt, & scripta Euangelistarum
ime putidis patrum & Neotericorum
glossis voluunt. Quare in hac propositi-
tione Iesus est Christus, causa copulę est
vera probatio missionis Iesu ad hoc vt
sit Messias. Hinc est, quod Hebræi di-
cant, quodnam signum facis, vt creda-
mus te à Deo esse missum, ad hoc scilicet
vt sis Messias: & quod Christus sæpius
inculcat. Verba mea non sunt mea, sed
patris mei, qui misit me. Item, Si verbis
meis (quibus dico me à patre esse missum
vt sim Messias) non creditis, credite ope
ribus meis, &c. Quod attinet ad dictum
Ioannis. Qui negat filium neque patrem
habet ipsum, Hebræos non attingit, ne-
dum vt probet illos Deum verum ampli

us non habere patrem. Nam postquam idem Ioannes dixit. Filioli mei audistis quòd Antichristus ventrus sit, etiã multi ingressi sunt in mundũ. Item: Ex nobis egressi sunt, sed non erãt ex nobis, quis nõ videt ipsum, de infidelib. Hebræis non loqui posse? Nam infideles Hebræi non venturi erant, sed iam ante fuerant, neq; ipsorum multi (quod etiam de duob⁹ vel tribus dici potest) erant, sed innumeri, neq; ex ipsis id est, ex Christianis egressi fuerant, nunquam enim Christo dederant nomen. Loquitur igitur de gentib. qui per fidem in Iesum ex nõ populo Dei, populus Dei facti fuerant, & ob id negata fide rursus in Iesum fiebant ex populo Dei non populus Dei, atq; hoc est, quod apostolus dixit. Qui negat filiũ, neq; patrem habet. Item, Qui negat, scilicet ex gentibus, Iesum venientem in carne esse Christũ, Antichristus est, quod de Hebræo verum esse non potuit, siquidem is beneficio Mosis, qui Mediator veteris fœderis fuit, factus est populus Dei. Plura præterea gentilis per fidem in Iesum nactus est, quàm Hebræus: Hic enim habet ante tem-

tempora Messiæ beneficio Mosis, Deũ, pacta, fœdera, legem & promissiones de futuro regno Messiæ, per fidem in ipsum nactus est tantum impletionem promissionum de regno Messiæ. Reliqua enim antea habuit. Vnde Paulus dixit, Iesus fuit minister circumcisionis ob veritatem Dei. Item: In Christo Iesu sunt omnes promissiones Dei veritas & Amen: Ille vero existens sine Deo, sine lege, sine pactis, sine Christo, seu promissionibus de regno Christi, per fidem in Iesum hæc omnia nactus est. Vnde Apostolus dixit. Vos, qui quondam procul eratis, propinqui facti estis, idq; in Christo Iesu, participes facti estis Reip. Israelis. Quæ res causa est vt gentilis plus amittat per negationem fidei in Iesum, quàm Hebræus, quilibet enim id per negationem fidei amittit, quod per fidem acquisierat. Igitur Hebræus fidelis, negans Iesum esse Christum fit ex membro noui fœderis vel regni Messiæ, membrum veteris fœderis, hoc est, recidit eò, vbi erat prius, priusquam crediderat in Iesum. Ac multo magis is Hebræus, qui nunquam nomen Ie-

nomen Iesu dedit, manet in veteri fœde re, cuius membrum factus fuerat per fidem in Mosen, veteris fœderis, & ex eo excidere in æternum non potest, nisi abneget fidem in Mosen, quod est Apostatæ, vt alibi dictum est: Gentilis autem fidelis abnegãs fidem in Iesum fit ex membro noui fœderis, membrũ populi, qui non est populus Dei, hoc est recidit eò, vbi erat, antequam fidem in Iesum amplexus fuerat, id est, fit non populus Dei, qualis fuerat antea. Atque hoc est quod dicit Apostolus. Qui negat filium neque patrem habet. Hęc vera sunt et sana mens iis contradicere nescit. Accedamus ad id, quod dixit Paulus. Deum infideles Hebræos reiecisse &c. Vnde per multa secula in Cimmeriis tenebris, per filium perditionis in totum orbem inuectis, creditum & propagatum fuit, Hebræos nõ esse populum Dei, seu Deum verum non amplius esse ipsorum Deum. Ad hunc, toti generi humano, pernicioſum errorem euellendum funditus, ex cordibus humanis, in quibus diuturnitate temporis & clamore concionatorum ãltissimas

mas egit radices, opus est vt intimis pectoris penetralibus benè infigatur officium verum, veri Messiæ, & articulus fidei, qui dicitur aduentus Messiæ, eiusq; natura, atq; etiam fœderis, quod est inter Deum & Israelem. Nam his benè cognitis aduersariorum argumentum hoc per se concidet. Officium autem verum Messiæ est, liberare populũ suum, id est, Hebræos, à peccatis suis, vt angelus inquit ad Iosephum: Et sedere in throno Dauidis, & regnare in domo Dauid in æternum, vt Gabriel dixit ad Mariam: & liberare populum suum, ab omnibus ijs, qui oderunt ipsos &c. Vt Zacharias cecinit, seu quod idem est, ministrum esse circumcisionis ob veritatem Dei, id est, vt impleantur Hebræis omnes promissiones patribus factæ, vt alibi loquitur dicens: in Christo Iesu sunt omnes promissiones Dei, veritas & Amen, id est: Deus misit Iesum, vt si reciperetur, per ipsum verè omnes suas promissiones ad impleret: vel abrogaret per suam obedientiam ea mala, quæ per inobedientiam Adæ ingressa fuerant in mundũ, vt idem

Paulus

Paulus loquitur. Quod idem vult articulus fidei, qui dicitur aduentus Messiæ. Natura autem seu proprium eiusdem articuli est, vt negatus faciat hæreticũ, aliter verò explicatus vel intellectus, quàm ipsa veritas requirit, cõstituit errantem, quales sunt infideles Hebræi. Hinc est, quòd bestia Romana, quamuis malum Israelis semper quæsierit, nunquam ausa sit, Israelem incredulum vocare hæreticum. Nam quantum cœlum à terra distat, tantum inter se distant errans & hæreticus. Hæreticus enim egreditur ex populo Dei & non amplius habet Deum, errans verò peccator quidem est, sed manet in populo Dei, vt mœchus, vt fur, Deum habet iratũ, nisi agat pœnitentiam. Natura autem fœderis inter Deum & Israelem initi est, quod nullum peccatum Israelis, quantumuis grande illud irritũ facere possit, secundum Ieremiam qui dicit: Vbi fœdus meum, cum die & nocte atq; cum sole & luna cessabit, cessabit etiam Israel coram me esse populus. Huc respexit Diuus Paulus dicens. Inimici mei secundum Euangelium, amici autem & dile-

& dilecti secundum electionem, dona enim Dei eiusmodi vt cum ipsorum pœnitere non possit: His itaq; sic sese habentibus, ea quę de reiectione Israelis in nouo fœdere dicuntur, aliter explicãda sunt, quàm factum fuit. Nam cum Iesus per fidem in se, Hebræum non fecerit populum Dei, sed tantùm ex ciue veteris fœderis ciuem noui, per non fidem in se Hebræos ijs bonis tantum priuasse, quæ ipsis afferre potuerat. Igitur Hebræus incredulus manet talis populus Dei, qualis fuit ante Messiam, nisi quod etiam reliqua ipsorum peccata non leuiter auxerit, reiectio Messiæ iuxta dictum. Nisi venissem peccatum non haberitis. Quæcunq; igitur in scriptis noui fœderis de reiectione Hebræorum, præcisione ramorum, & de auferenda vinea à colonis, & elocanda alijs. Item de eiectione in exteriores tenebras dicuntur, minime gentium, vt ex præmissis patet, volunt Hebræos ex populo Dei factos, esse non populum Dei, quod absit, sed regno Messiæ spoliatos esse, in quo in summa felicitate vixissent: Et mansisse sub veteri fœdere,

dere, quod ſecundum Paulum ſterquilinium eſt, reſpectu regni Meſsiæ, & ob id adhuc omnibus calamitatibus eſſe obnoxios & expoſitos. Et aptè dixit apoſtolus, ipſos propter infidelitatem eſſe præciſos & reiectos reſpectu gentium fidelium, qui per fidem ſunt inſerti & recepti. Quod probat in multis locis dicens, ipſis per pœnitentiam patere aditum ad regnum Meſsiæ, & quod prædicit fore vt totus Iſrael ſeruetur. Hæc enim de non populo Dei dici in ſcriptura nonſolent, pœnitentia ſiquidem eſt propria eorum, qui ſunt in populo Dei, & extra Eccleſiam ipſi non eſt locus, niſi Deus ſpecialiter ad pœnitentiam vocet. Palam igitur eſt Hebræum incredulum adhuc eſſe populũ Dei. Et per conſequens habere Deum verum pro ſuo Deo. Sed qui ipſi iraſcatur, & regno Meſsiæ priuet, donec agat pœnitentiam & recipiat Ieſum pro Meſsia. Vnde ſequitur reliquias Iſraelis, de quibus Paulus dixit: Ipſas adepturas per gratiam & ex electione id, vnde exciderit Iſrael, eſſe non tantũ eos Iſraelitas, qui ad conciones Chriſti &

ſti & Apoſtolorum ipſius egerunt pœnitentiam & crediderunt, è quorum numero ſe Paulus quoque dicit eſſe, ſed etiam omnes incredulos, qui excidium Ieroſolymitanum quod ipſos maximè ob mortem & reiectionem chriſti apprehendit, euaſerunt, reliquiæ facti ſunt. Nam ex iis conſeruabitur Iſraeli ſanctũ ſemen, quod ſuo tempore regnum adipiſcetur, vnde maiores exciderunt, quemadmodum in primi templi vaſtatione, ex iis qui gladium Babylonicum euaſerant, gens Hebræa reparata fuit.

Vtraque autem reliquiæ factæ ſunt teſte ſcriptura ex ſola gratia diuina. Nã populus Hebræus vtroque tempore meritus fuerat excidium totale. Hinc dicta, niſi dominus Zebaoth noſtri miſertus eſſet, ſicut Sodoma & Gomorrha, facti fuiſſemus. Item, Niſi dies decurtati fuiſſent, non ſalua facta eſſet omnis caro, ſed propter electos, id eſt, propter Abraham, Iſaac & Iacobum decurtabuntur, vt iis ſemen vel poſteritas maneat, quæ ſuo tẽpore ex electione diuina regnum Dei & Meſsiæ adipiſcetur. De quibus Paulus

inquit. Et tunc totus Israel saluabitur, &c. Siquidem hoc dictum de Christianis, vt quidã somniant, intelligi non potest. Hi enim iam per fidem in Iesum seruati sunt, & maiori ex parte constat ex gentibus, qui Israelitæ dici non possunt, sed tantùm filii Abrahæ. Ad hæc si reliquiæ Paulinæ tantùm de Hebræis illis, qui crediderunt Euangelio intelligi deberent, Paulum falsò asserere, qui dixit, fore, vbi plenitudo gentium introierit, vt totus Israel seruetur. Nam hoc dictũ manifestè loquitur de Hebræis incredulis, qui diu post tempora Apostolorum per fidem in Iesum conuertentur & promissum regnum possidebunt, vnde ipsorum maiores per infidelitatẽ excidẽrũt. Nisi enim ii infideles, qui gladium Romanum euaserunt intelligantur, per reliquias Paulinas non supererunt Israelitæ in quibus hoc dictum suum sortiri possit euentum, de iis siquidem, qui tẽpore Christi crediderunt intelligi, quia iam olim crediderant & conuersi fuerant, non potest. Quo probato, sequitur Israelem infidelem verum Deum adhuc inuocare, Israel

Israel enim nũquam potest fictum & non verum Deum inuocare, nisi relicto ipso ad idololatriam gentium se cõuerterit, vt sub primo templo sæpius factum est, sub secundo verò & in hoc exilio Romano nũquam idola coluit. Ignorare enim Messiam & non in ipsius nomine vel per ipsum & fiducia ipsius inuocare, etiamsi esset verę & acceptę inuocationis, quod non est, tamen non probaret Israelem Deum verum non inuocare. Aliud enim est verum Deum inuocare, & aliud verum Deum verè & acceptè inuocare. Hinc est, quòd multi peccatores & hypocritæ in populo Dei verum Deum inuocarint, qui tamen ipsum non verè & acceptè inuocarint.

Diximus autem non esse de substantia veræ inuocationis, quia quamuis gentilis factus Christianus per fidem in Iesum, sine cognitione ipsius, verum Deum inuocare non potest, potest tamen id facere Iudæus, qui per Mosen factus est populus Dei verus, quòd si non cõsequeris esset Deum verum à suo populo sub veteri fœdere nunquam fuisse inuocatum, cò

quòd Iesus sub eo fuit ignoratus, quod nefas dictu est. Sic quamuis Apostoli iussi sunt orare. Pater noster, q es in cœlis. Et in nomine ipsius, tamen Hebræus infidelis & Christianus qui non est apostolus Christi etiãsi non oret Pater noster. Et in nomine ipsius, tamen verè orare verum Deum potest, quia sic docuit Iesus suos Apostolos, quatenus fuerunt Apostoli, non autem simpliciter membra populi, vt totus contextus conuincit: Et orare in nomine ipsius patrem, est petere apostolum vt Deus exaudiat preces suas ad edenda miracula, ad glorificãdum nomen Iesu.

Praui igitur imitatores sunt, qui hoc nostro tempore idem faciunt. Orare Deum per Iesum & fiducia Iesu non inueni in scriptis noui fœderis. Quod diuus Petrus dixit de christianis loquens. Ipsorũ preces esse acceptas Deo per Christum, eo non voluit docere Deũ per Christum esse orãdum, sed tantùm hoc, ipsos adeò rem gratam credendo in Iesum Deo feciſſe, vt sic adductæ per Iesum ad Deum preces ipsi gratas fundant, respectu eorum,

rum, qui Iesu noluerũt credere, quorum preces minus gratæ fuerunt, vt Hebræorum incredulorum, vel planè reiectæ, vt gentium infidelium. Hebræi igitur increduli verum Deum in hodiernum vsque diem inuocant.

Accedamus igitur ad reliqua scripturæ dicta examinanda, ex quibus hactenus probatum fuit Hebræos incredulos planè in rectè intelligenda scriptura, nedũ explicanda esse cæcos. Inter ipsa autem non infimum locum obtinet dictum Pauli 2. Cor. 3. In hodiernum vsque diem in lectione veteris fœderis pendet velum Mosis præ cordibus ipsorum. Hoc dictum non probare id, ad quod probandum hactenus adhibitum fuit, ex toto contextu patet, qui demonstrat, velum Mosis sumi pro gloria Mosis, hoc sensu, claritatem vel splendorem Mosis, quem accepit à Deo statim ab eo tempore, cum locutus cum ipso esset in monte, esse causam quòd Hebræi literæ, id est, veteri fœderi mordicus adhærearent, & ministerium spiritus, cuius autor est Iesus Christus, reiiciant, eò quòd tantum gloriam

in Christo nõdum conſpexerint in his terris. Nam cum in præcedentibus probarit ex officio Meſsiæ, quod eſt officium ſpiritus ipſum eſſe maiori gloria ornatum Moſe, qui tantùm miniſter literæ, & aliquis hoc negare poſſet, eò quòd Hebræi Ieſu non crediderint, quod fieri non potuiſſet, ſi maiorem in ipſo gloriã, quàm in Moſe conſpexiſſent, quemadmodum enim Moſi propter gloriam minorem crediderũt, ſic multò magis Ieſu propter gloriam maiorem credidiſſent. Tacitè reſpondet Apoſtolus dicendo, gloriam Moſis omnibus patuiſſe, quia fuerit ſplendor facierum ipſius in hac terra, gloriam verò Chriſti non omnibus patere, ſed paucis tantum, iiſq; qui ſpiritum ipſius acceperint, quia ſpirituale quiddam eſt ipſius gloria, atque ea ipſe fruitur à conſpectu noſtro remotus.

Hanc huius dicti veram eſſe expoſitionem, ſeu Hebræorum incredulorum, ſenſus tantùm hac in re excæcatos eſſe, probat primo tota ſcriptura noui fœderis, quę ſæpius & multis inculcauit, hanc ſolam

ſolam litem Ieſum cum Hebræis Phariſæis habuiſſe, ſe nimirum eſſe Chriſtum illum promiſſum, quod ipſi negarunt. Deinde quod verus ſcripturæ intellectus non eſt cauſa vt quis hanc propoſitionem, Ieſus eſt promiſſus ille Meſsias credat, partim quia fundamenta legis & ipſorum radices reliquiq; articuli fidei, nihil affine habent cum hoc articulo, qui eſt aduentus Meſsiæ, adeò vt eo vel toto ſublato rectè intelligi & explicari poſsint: partim verò, quia huius propoſitionis prædicati verus intellectus eſſe poteſt ſine vero aſſenſu eius. Vt enim quis eam credat non pendet ab intellectu prędicati, ſed ex medio termino, qui non in ſcriptis veteris fœderis explicatur, ſed tantùm, quòd vocant, fœdere, vt ſuperius etiam dictum eſt. Atque his non cõtradicit dictum Chriſti. ſcrutamini ſcripturas, eæ enim teſtimonium de me perhibent. Senſus enim eſt. Scripturam verum Meſsiæ officium deſcribere, quod cum in ipſo reperiatur, certum eſſe ęd ſit verus Meſsias, atq; eatenus ſcriptura ſacra verè de Ieſu teſtata eſt. Simili modo hæc

do hæc dicta & his similia. Frustra colunt me mandatis hominum &c. Et multas alias traditiones habent, quas à patribus acceperunt &c. Et qui transgredimini mandatum Dei ob traditiones vestras. Lex enim dicit. Honora patrem & matrem &c. non probant Hebræos tempore Messiæ humana figmenta legi addidisse. Nam scriptura quæ dicit traditiones Hebræos à patribus accepisse, nullo modo indicare vult figmenta humana in populo Dei eo tempore fuisse in vsu, sed tantùm docet ea, quamuis fuerint diuina, non fuisse scripto propagata. In populo autem Hebræo fuisse legẽ scriptam & non scriptam et vtranque diuinã probat doctissime autor libri fundamentorum in parte Tertia. Ad reliqua autem duo dicta, & quæ his sunt similia explicanda, sciendum est, vt mandatum aliquod verè diuinum obseruatum ab homine, diuinum posset appellari, requiri vt prorsus eo modo fiat, quo Deus id fieri velit, nam si in modo erratum est, non diuinum dicitur amplius mandatum, qua de re videatur magister fundamentorum.

Sic eleemosynæ, sic preces diuinitus mandatæ à Christo reiiciuntur. Sic sacrificia præcepta à Mose à prophetis reprehenduntur, atque tanquam humana figmenta reiiciuntur. Atque hoc est, quod Christus in persona patris sui dicit. Frustra colunt me mandatis hominum, qd clarius patet ex propheta, vnde hic locus desumptus est. Traditionem porrò, quam Christus hic ipsorum nominat esse veram & diuinam, & tantùm abusum à Iesu carpi, neminem latere potest, qui quæ fuerit traditio nouerit, & locum Euangelistæ penitus perceperit. Traditio fuit hæc, vt quis, si templum Dei indigeat, vt sæpe accidit, & alicuius filius potius templo, quam parenti succurrat. Ne autem hęc res patrem offendat, statutum fuit à sapientibus, vt is qui templo dare velit, non suo sed patris nomine id det, quo pater premium & mercedem à Deo pro hoc bono recipiat. Atque hoc est, quod dictum fuit Corban, quod ex me est, cedat in tuam vtilitatem. Qua quæso traditione, quid magis pium, magisq; diuinum esse potest? Quæ res cau-

sa est vt fieri nequeat, Christum hanc traditionem per se & simpliciter carpere voluisse, qui ipse dixerit. Nisi quis patrem & matrem deserat, & me sequatur, me non est dignus. Reprehendit igitur Iesus non piam & diuinam hanc traditionem, sed eius abusum, qui fuit, quando ipsius tempore, cum templum non indiguit, sacerdotes auari prętextu eius pauperes & indigentes parentes suo victu spoliarunt. Sic in omnibus noui fœderis locis, vbi traditionum fit mentio, non ipsæ, sed ipsarum abusus reprehenditur.

Sic dictum Christi. Cauete vobis à fermento doctrinæ Pharisæorum, nihil contra nos est, quia Lucas addit, quæ est hypocrisis. Annon scriptum est. Væ vobis Pharisæi hypocritę, qui cum eleemosynam datis, curatis tuba clangi coram vobis, &c. Item, Qui cum oratis statis in angulis platearum. Amen dico vobis recepistis mercedem vestram. Igitur hypocrisis fuit fermentum in ipsis bonæ ipsorum doctrinæ de oratione & eleemosyna.

Restat nunc vt 5. cap. Math. etiam

explicemus atq; ita finem huic rei imponamus. Ad verum huius 5. cap. intellectum, sciendum est, primo duo esse fœdera, Vetus scilicet & Nouum, atque huius Mediatorem esse Iesum, illius verò Mosen. Secundo. Sub veteri fœdere regnare mala, quæ per inobedientiam Adæ ingressa sunt in mundum, quæ sunt peccatum & mors. In nouo vero minimè teste Paulo ad Romanos in his verbis. Quemadmodum per transgressionem vnius hominis ingressum est peccatum in mundum, & per peccatum mors. Sic per obedientiam vnius, scilicet Christi, ingressa est iustitia & per ipsam vita. Tertiò legem diuinam Mosis pro principio generali, quatenus est lex in genere habere liberum arbitrium seu electionem, vt demonstratur lib 1. fundamentorum, ac huic minimè cõtradicit, id quod hinc inde in epistolis Paulinis de æterna Dei electione, prædestinatione & de seruo arbitrio habetur. Nam priora duo nihil aliud volunt, quàm nullam mutationem inde in Deo sequi, quòd scilicet tempore apostolorum elegerit gen-

tes in

tes in populum, quas antea noluit esse su
um peculium, modo enim hoc loquendi
veteres vsi sunt, ne viderentur Deo attri
buere mutationem: Alterum verò ve-
rum est, de populo illo, qui nondum est
populus Dei, fieri enim ex nõ populo Dei
populũ ipsius, non est volentis neq; cur-
rentis, sed miserentis Dei, quod verum
esse nõ potest de ijs, qui recepti sunt iam
in populum Dei, vt ex veteri & nouo fœ-
dere satis abundè patet. Ex quo sequi-
tur, quia legem Deum oportuit dare pos
sibilem, multa ipsum permittere in ve-
teri fœdere, vbi regnarunt peccatum &
mors, oportuisse, quę rursus vetari opus
erat in nouo, peccato & morte per obe-
dientiam Messiæ sublatis, & in ipsorum
locum substitutis iustitia & vita. Quar-
tò, quid propriè illud sit, quod Adamus
per esum de arbore vetita acquisierit, si-
quidem hæc res non parum huic nostro
negotio lucis addet. De arbore autem
scientiæ boni & mali non comedes, ar-
boris scientiæ boni & mali fructus co-
mestus habuit vim generandi in Adamo
(qui vt scriptura loquitur, conditus fue
rat à

rat à Deo rectus, hoc est, ita vt nihil ali-
ud vellet, cuperetq;, quàm obedire vo-
luntati creatoris sui, quod erat desidera-
re vnam saltem aliquam rem, & nullo
modo etiam ipsius contrarium) desideri
um non vnius duntaxat rei, quale in ipso
fuit ante esum, verum etiam contrarium
eiusdem rei, quod quiddam diuinum e-
rat iuxta dictum. Ecce Adamus factus
est vt vnus ex nobis. Nam sensus verbo-
rum de arbore scientiæ boni & mali, est,
de arbore, cuius esus in homine generat
desiderium, quo concupiscit aliquã rem
& eiusdem contrarium, quemadmodum
est in Deo. Quæ res homini causa & oc-
casio est boni, cum desiderat ea, quæ De-
us approbat: mali verò cum eorum con-
trarium sequitur. Siquidem in scriptura
sacra non raro vox scire sumitur pro de-
siderare, concupiscere.

Summa est, Adamum per esum liber
rimum arbitrium seu electionem in o-
mnibus rebus bonis & malis, quod in
ipso ante esum non fuit, consecutum es-
se, quatenus verò Adamus præstantiam
hanc consecutus est per transgressionẽ
mandat

mandati diuini, fecit ingredi peccatum & mortem in mundum, id est, subiectus est satanæ seu principi huius mundi & angelo mortis. Sapientes enim Israelis, per has voces intelligunt angelum peccati, qui est satanas incitans homines ad peccandum: & angelum mortis, qui homines interficit. Cui angelo peccati subiectum esse, efficit vt præstantia illa quam per esum acquisierat, ipsi cedat in malum. Quoniam princeps huius mundi, cuius mancipium factus est, ad sibi obediendum duntaxat incitat, atq; hac ratione fit, vt voluntatem Dei transgrediatur, quod durabit donec huic principi rursus suus principatus in homines auferatur per Messiam, qui ipsum suo spiritu tantùm impellet ad bonum, quod etiam secundum sententiam sapientum Israelis contingit, sub actuali imperio & regno Messiæ. His igitur sic præmissis aggrediemur expositionem prædicti capitis, auxilio Dei, laudandi in secula.

Quia verò ad probandum id, quod intendimus, non necessaria est totius capitis exopositio, breuiter explicabimus eã, quæ

ea quæ ex ipso contram nostram sententiam perperam hactenus citata fuêre. Nolite arbitrari qu od venerim ad soluendam legem &c. sed ad implendam eam. Sensus horum verborũ est. (Nam hoc prę cipuè suos discipulos, vt ex principio huius captis videre est, docuit.) Nolite putare, quòd ego, qui sum verè promissus venerim missus à Deo patre meo, vt agerem aliquid contra sanctam legem, hoc fine, vt in posterũ esset perpetuo abrogata atq; alios hoc ipsum facere docerem, quod absit, quandoquidem non veni ad destruendam legem, sed ad implendam eam, ita vt ipsius etiã defectum, quem sub veteri fœdere ob imperium satanæ, hactenus habuit, remouerem, qui vt patet ex scriptis sapientum Israelis, atq; ex hoc capite, constitit in his duobus capitibus. Primum est, quod Deus Israeli propter imperium principis huius mundi, qui hominem assiduc ad rebellionem contra voluntatem Dei incitat & impellit, quædam concessit, quæ alias ipsi concessa non essent, qualia sunt esus carniũ, & quod Israelita potuit fœminam

16/6

minam in bello captam ducere in vxorem & diuortium, atq; his similia. Nam iuxta sapientes Israelis & Christum Deus hæc populo suo concesit, eò quòd viderit, quamuis ea ipsis prohiberet, illos non seruare posse, ob imperium Satanæ in ipsos, hoc est, propter duritiem cordis ipsorum, quam excitat in ipsis. Secundum est, quod quædam qualia sunt concupiscentia alterius coniugis & ira absq; causa concepta aduersus fratrem, quæ quamuis coram ipso sunt graue peccatum, ea tamen non sub pœna corporis vt merebantur prohibuit, eò quòd fieri non posset vt homo ea obseruet, ob potens Satanæ in ipsum imperium.

Postquam verò hic defectus, iuxta doctrinam Pauli à Deo rursum abolebitur per Christum, quis non videt, quod etiam ea, quæ fieri poterant, ob eum, sine peccato ex permissione diuina, aut sine graui aliqua pœna, quo legem suã adtemperaret ipsorũ viribus, quemadmodum scriptura testatur de multis, rursus prohibenda, ita vt fieri non possint sine graui peccato atq; pœna, postquam hic defectus

fectus cuius gratia concessa fuerant ablatus fuerit? Et hoc est, quod hîc scriptum est, sed ad implendam eam. Atque quod Paulus dixit. Imò per gratiam stabilimꝰ legẽ. Item, Christus est τέλος, id est, perfectio legis. Item, Quod legi erat impossibile, quatenus infirmabatur, per carnem id impleuit Deus, &c. Vt id quod lex requirit à nobis præstaretur, atque hoc est illud ipsum, quod propheta Ieremias 31. dixit, nimirum quod futurum sit sub nouo fœdere, vt omnes à minimo vsque ad maximum cogniturí sint Deum, &c. Amen dico vobis, donec transierit mundus, &c.) Hoc est, priusquàm, antequam transierit, &c. vt etiam Gene. 48. Filios, quos genuisti, donec venerim in Aegyptum, positum est, pro priusquàm veni in Aegyptum, &c. Nam sensus est. Amen dico vobis, quantum attinet ad legem Mosaicam, priusquàm cœlum & terra transierint, ex ea non transibit & abolebitur iota vnum, vel apex vnus. Donec omnia facta sunt.) In his verbis repetit priorem sententiam ad roborandam eam. Sensus enim ipsorum est. I-

17/6

mò verè dico vobis, priusquàm omnia, quæ à DEO condita sunt in nihilũ redacta fuerint, non præteribit, &c. Et hoc est q̃d Hebrçi inter reliquos fidei suç articulos credunt, quòd lex Mosis nunquam abolenda sit per aliam. Propterea quicunq; soluerit, &c.) Hoc est, propterea quicunque vel minimum præceptum ex præceptis Mosis non obseruabit, eò quòd credit ipsum in perpetuum abolitum esse, vocabitur minimus in regno cœlorum, & contra. Nam eiusmodi apostata est & seductor, id enim credere non potest, nisi legem credat esse falsam. Atque hoc est, quod Moses dixit Deut. 28. Maledictus qui non faciet surgere verba legis huius ad faciendum ea, & dicet vniuersus populus Amen. Item Deut. 13. 18. Si propheta aut somniator, &c.

Nam dico vobis nisi iustitia vestra &c.) In his verbis reddit causam eius, quod supra dixerat, quòd si verò sal infatuatum fuerit, ad nihil valet amplius, quàm vt proiiciatur foras & conculcetur ab hominibus. Sensus siquidem est. Ego Iesus, qui sum verus Messias & ob id Me-

id Mediator noui fœderis dico vobis, qui estis mei discipuli, & ministri regni, in quo genus humanum rursum ad pristinam suam perfectionem reducetur: ad perfectè implendam legem diuinam, nisi legem MOSIS meliꝰ obseruaueritis, quàm pientissimi quiq; veteris fœderis, qui fuerunt Pharisçi & Scribç obseruarunt, non habebitis partem in regno cœlorum, quia in illis habuit imperium princeps huius mundi, ob q̃d Deus non tot ab ipsis fieri postulauit, quod à vobis fieri mandat, qui estis primitiæ noui fœderis, & spiritum sanctum opulenter accipietis, siquidem Christus in hoc loco Pharisçorũ & Scribarum nõ facit mentionem, nisi ob ipsorum præstantiam. Ipsi enim doctissimi inter Hebræos fuerunt, atque multi ex ipsis legem non tantùm rectè intellexerunt, sed etiam irreprehensibiles secundum eam, coram DEO et hominibus vixerunt, quemadmodum Zacharias Luc. 1. & Paulus Phil. 3. Et secundum iustitiam quæ est in lege, vixi irreprehensus. Et benè obseruandum est, quod hic dicit, quæ est in lege, Nam

hic firmiter probari potest, quòd Deus ita legem suam ob lapsum Adæ attemperarit viribus humanis, vt ea non impossibilis seruatu fuerit. Nam id quod Paulus & Zacharias antequam fierent Christiani præstiterunt, quis negabit etiam alios idipsum facere potuisse?

Audiuistis quod dictum sit antiquis, Non occides. NON mœchaberis, &c.) In his verbis Iesus non carpit Pharisæos & Scribas, de quib. alibi dixerat, Pharisæi & Scribæ sedent in cathedra Mosis, omnia quæ dixerint vobis facite, ob falsum intellectum & expositionem legis diuinæ. Nam non dixit: Audistis quòd dicãt Pharisæi, ego autem dico vobis, sed, Audistis quod dictum sit antiquis, Ego autem dico vobis, cuius sensus est. Audistis & legistis in lege, quòd antiquis, hoc est, iis, qui sub veteri fœdere, & sub imperio principis huius mundi vixerunt, quales fuerunt Hebræi, qui acceperunt legem vsque ad tempora MESSIÆ. Hoc est, quod ipsis duntaxat sub pœna capitali corporis homicidium & adulterium prohibitum sit, nullo modo autem inuidia, odium, &

um, & desiderium adulterandi, idq; ob imperium Satanæ. Ego verò qui sum MEDIATOR noui fœderis sub quo ipsum rursus abolebitur, dico vobis, quòd etiam odium, inuidentia & desiderium adulterandi corporali & æterna morte sub ipso punienda venient, siquidem, quod sub veteri fœdere punitum non fuit obimperium satanæ, id sub nouo, eo explosо, punictur. MENS enim christi non est, vt probet contra Pharisæos, quòd lex MOSAICA prohibeat odium, inuidentiam & desidetium mœchandi, quasi ipsi negarent, sed tantùm docere vult, ipsa sub nouo fœdere tam graui pœna afficienda, vt corporis adulterium & homicidiũ punita sunt sub veteri. Quis enim in lege peritus mihi ex ea probabit, quòd DEUS, quamuis in ea odium & inuidentiam prohibuerit, id fecerit sub pœna capitali, sub qua corporis adulterium & homicidium prohibita fuerunt? Quis mihi probabit, quòd Pharisæi, qui quotidie sine intermissione tractarunt scripturam sacram ignorarint hęc prohibita fuisse, cùm expressè dictum sit, Non concupisces vxorem proximi.

ximi tui? Non'ne in Talmudo scriptum est, quòd is qui numeret in manum coniugis alterius pecuniam, saltem ob id vtetam contemplari possit, & sic animo suo morem gerat, coram Deo sit mœchus?

Dictum autem est quicunque dimitteret vxorem suam, &c. Item non peierabis, &c. Item oculũ pro oculo &c. Item Diliges proximum tuum, &c.) Neque in his verbis reprehendit Iesus Pharisæos, quasi non rectè intellexerint legem, sed ostendit duntaxat suis, quòd etiam eæ res, quæ sub veteri fœdere ex permissu diuino ob florens imperium satanæ, sine peccato fieri potuerunt, non erunt concesse in nouo fœdere, sed seuerè prohibitæ & euitandæ, partim ne grauiter puniamur à Deo, partim verò vt maiorem mercedem ab ipso accipiamus: & veri filii Dei inueniamur. Nam quod ad hoc attinet: Quicunque dimiserit vxorem suam det ei libellum repudii, dico, quoniam Deus hoc per Mosen permiserat, & non dixerat, quòd is, qui hoc faceret adulteriũ committeret, quomodo poterunt Pharisæi & Scribæ merito ob hanc

eandem

eandem doctrinam reprehendi? Peccatum, ne est idem cum scriptura sentire? Absit. Pharisæi'ne est dicere id esse peccatum, quod Deus peccatum non nominauit, quamuis ipsi expressè iniunctum sit, ne quid legi adderet vel detraheret? Reprehendit igitur Christo legem in prædictis capitib. quatenus est Mediator noui fœderis, sub quo duricies cordiũ rursus auferetur, & monstrat quid Deus sub ipso à nobis, vt faciamus, requirat, nimirum quod non debeamo quatenus sub nouo fœdere sumus nos à nostris vxoribus separare, nisi pro mœchis haberi & ab ipso puniri velimus idq; non iniuria. Postquàm enim diuortium à Deo duntaxat concessum fuerat ob duritiem cordium, quis non videt, ipsum rursus abolendum, abolita & remota duritie cordium et prohibendum sub graui aliqua pœna, si Deo ita fuerit visum? Et benè obseruari debet, quod dixit, diuortium ipsis concessum fuisse ob duritiem cordis ipsorum, nam prœterquàm quod probat Iesum Pharisæos ob hanc sententiam non carpere, confirmat etiam id, quod iam

fæpius diximus, Deum nimirum legem ſuam, ita attemperaſſe viribus humanis, ſub imperio principis huiꝰ mundi, vt generi humano poſsibilis fuerit.

Non peierabis &c.) Atque etiam in his verbis dominus Ieſus Chriſtus Phariſęosob id, quòd iuxta legem docuerint poſſe homines iurare per nomen Dei & per alias res pretioſas & ſanctas, vel ad addendum ſibi ſtimulos in aliqua re, vt is facit, qui vouet & iurat: vel ad firmandam fidem aliorum, quod accidit, cum quis alteri aliquid promittit & iurat, eiuſmodi enim iuramentum admonet illum, qui ipſum præſtitit, vt promiſsionibus ſtet, alterum verò cui promiſsio facta eſt, confirmat in habēda fide promittenti. Quia hoc lex ſub imperio ſatanæ in genus humanum conceſsit, & hoc eſt quod hic dixit Chriſtus, & quod vltra eſt, ex malo eſt, hoc eſt, quod ſub veteri fœdere homines iurarint, inde ortum eſt, quòd ſub ipſo imperium Satanæ floruerit, qui homines mancipia ſua ad malum impulit, ſeu vt alter alterum falleret atque etiam vota Deo facta non obſeruaret.

uaret. Deus enim hoc ſub veteri fœdere ob prædictam cauſam conceſsit: ſed tantùm in his verbis vult docere, quòd planè non ſit iurandum ſub nouo fœdere, id q̄ non ob id, quòd verè iurare ſit peccatum, ſed dūtaxat ob id, quia iurare ſit indicium, defectum adhuc eſſe in ipſis, vt dictum eſt, & videre licet ex his verbis. Et quod vltra eſt ex malo eſt. Deus autem ſuum & Meſsiæ ſui regnum inchoare vult in hunc finem, vt omnis defectus & labes rurſus ex genere humano auferatur, iuxta dictum Zachariæ Luc. 1. Vt præſtaret iuramentum quod iurauit patri noſtro Abraham ad dādum nobis, vt ſine timore, ex manu inimicorū noſtrorū liberati, ſeruiremus ipſi, inſanctitate & iuſtitia coram ipſo, hîc omnibus diebus vitæ noſtræ, quemadmodum etiam dicitur in fine huius capitis, vt ſitis perfecti, &c.

Audiſtis quod dictum ſit antiquis, oculum pro oculo, &c. Ego autem dico vobis ne reſiſtatis malo, &c.) In his verbis non reprehenduntur Phariſęi ob id, quod docerent iuxta legem, quòd is, qui

alicui damnum intulisset cogi per magistratum posset ad damnum resarciēdum, nam non resistere malo & percutienti dextram maxillam, præbere etiam sinistram, nullo modo potest prædictorum verborum esse explicatio. Nam siue exponas verba hæc, oculum pro oculo secundum τὸ ῥητὸν vt perperam quidam existimarunt, siue secundum mentem vt dicas, pretium pro oculo numerandum esse, vt explicantur etiam in Talmudo, verba prædicta vindictam per manum magistratus admittunt: præterea de ciusmodi lędente expresse in lege dictum est, quemadmodum ipse fecit fiat ipsi, quam verba Christi vitandam esse mandant, quæ sic sonant. Et cum eo qui abs te trahi in iudicium vult, & aufert abs te tunicam, &c. Nam sic omnino oportet verti græca verba huius versus, & genuinus sensus est, Et ei qui quærit abs te accusari, & ob id aufert abs te tunicam tuam. Nam hinc manifestè videmus, quod etiam vindictam per magistratum dissuadeat. Quapropter friuolum est dicere ipsum carpere Pharisæos, quasi qui prædicta verba

dicta verba de priuata vindicta explicuerint tantùm enim hortatur suos, quos supra nominauit sal terræ, & lucem mundi, & admonuit vt ipsorum lux luceret, vt homines viderent, ipsorum bona opera & celebrarent patrem ipsorū cœlestem, vt nullam habeāt sui rationem, & in hoc tantùm intenti sint & incumbant, quomodo Deo in ædificatione regni ipsius, & hominibus prępparādo, & idoneos reddendo, ipsos regno Dei, docendo, admonendo, præeundo bono exemplo & confirmando, per crucem & passionem, doctrinam de regno vtiles essent & inseruirent, propterea quòd omnium horum copiosam mercedem, vt in principio huius capitis habetur, in regno Dei acceptu ri sint: vel hortatur ipsos in prædictis verbis, vt omnem vindictam, atq; etiam illam quam lex admittit, quæq; iuxta eam sine peccato exerceri potest, fugiant & vitent, eò quòd ipsa sit indicium defectus amoris proximi, pro quo & vitam effundere debemus, quemadmodū Christus pro nobis, & cui præstare debemus, vt alibi dicitur, omnia ea quæ volumus

nobis

nobis ab aliis præstari. Nullus verò inter nos tam stolidus est, q nolit vt is q norit verã viam salutis in eaq; ambulet, ipsum non suo bono exemplo, si ab eadem aberret, atque etiam per calamitatem & passionem lucrifaciat Deo & christo. Non'ne vides omnes apostolos hoc feciſſe, & nobis vt idem faciamus autores esse dum dicunt, nos oportere ipsorũ, vt ipsi Christi esse imitatores, quo regnum Dei adueniat, & voluntas ipsius fiat, quemadmodum in cœlis sic etiam in terris.

Ego autem dico vobis, &c.) Vobis scilicet, qui cupitis participes fieri regni Dei, & estis ministri noui fœderis seu spiritus. Ne resistatis malo.) Intellige neq; per magistratum, multò minus per vindictam priuatam, hoc enim indicium esset defectus dilectionis proximi in vobis, & quod vos non quæreretis salutem aliorum, sed vestram ipsorũ vtilitatem. Sed ei qui percusserit dextrã maxillam, &c.) Intellige propter munus tuum & spem tuam, quam habes in regnum Dei, porrige ipsi etiam sinistram. Nam quis nouit an per patientiam ipsum lucrifacere possis &

sis & quamuis ipsum non lucrifeceris, attamen mercedem copiosam huius tibi dabit Deus.

Et ei qui abs te rapi in iudicium vult, &c. Item, Cum eo qui te cogit, &c. Intellige ex odio religionis vel fidei tuæ atq; etiam spei, quam habes de regno Dei. Petenti abs te &c. Item, Noli auersari eum qui mutuari abs te vult.) Propter spem scilicet tuam de regno Dei. Audistis ꝗd dictum sit, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, &c.) Pergit Christus in his verbis admonere suos, vt non solum opera dilectionis exhibeãt proximis suis, hoc est iis, qui ipsis benè fecerunt, verùm etiam illis, qui etiam ipsis opera inimicitiæ præstiterunt: quod plus quiddam eo est, ad quod ipsos in proxime præcedentibus est hortatus. Nam in iis ipsos solum hortatus est, ne etiam modo vindictæ antiquis cõcesso, se vindicarent, in his verò monet vt inimicis suis benefaciant, ob causas subsequentes. Prima, vt sint veri & genuini filii patris sui cœlestis, vel vt perfecti sint, quemadmodum

pater

nobis ab aliis præstari. Nullus verò inter nos tam stolidus est, q nolit vt is q norit verã viam salutis in eaq; ambulet, ipsum non suo bono exemplo, si ab eadem aberret, atque etiam per calamitatem & passionem lucrifaciat Deo & christo. Non'ne vides omnes apostolos hoc fecisse, & nobis vt idem faciamus autores esse dum dicunt, nos oportere ipsorũ, vt ipsi Christi esse imitatores, quo regnum Dei adueniat, & voluntas ipsius fiat, quemadmodum in cœlis sic etiam in terris.

Ego autem dico vobis, &c.) Vobis scilicet, qui cupitis participes fieri regni Dei, & estis ministri noui fœderis seu spiritus. Ne resistatis malo.) Intellige neq; per magistratum, multò minus per vindictam priuatam, hoc enim indicium esset defectus dilectionis proximi in vobis, & quod vos non quæreretis salutem aliorum, sed vestram ipsorũ vtilitatem. Sed ei qui percusserit dextrã maxillam, &c.) Intellige propter munus tuum & spem tuam, quam habes in regnum Dei, porrige ipsi etiam sinistram. Nam quis nouit an per patientiam ipsum lucrifacere possis &

sis & quamuis ipsum non lucrifeceris, attamen mercedem copiosam huius tibi dabit Deus.

Et ei qui abs te rapi in iudicium vult, &c. Item, Cum eo qui te cogit, &c. Intelige ex odio religionis vel fidei tuæ atq; etiam spei, quam habes de regno Dei. Petenti abs te &c. Item, Noli auersari eum qui mutuari abs te vult.) Propter spem scilicet tuam de regno Dei. Audistis ꝙd dictum sit, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem dico vobis, &c.) Pergit Christus in his verbis admonere suos, vt non solum opera dilectionis exhibeãt proximis suis, hoc est iis, qui ipsis benè fecerunt, verùm etiam illis, qui etiam ipsis opera inimicitiæ præstiterunt: quod plus quiddam eo est, ad quod ipsos in proxime præcedentibus est hortatus. Nam in iis ipsos solum hortatus est, ne etiam modo vindictæ antiquis cõcesso, se vindicarent, in his verò monet vt inimicis suis benefaciant, ob causas subsequentes. Prima, vt sint veri & genuini filii patris sui cœlestis, vel vt perfecti sint, quemadmodum pater

pater ipsorum cœlestis perfectus est, qui facit solem suum oriri etiam super hostes suos, Secunda, quòd habeant copiosam mercedē in regno cœlorum, vt hîc expresse dicitur.

Falsum autem esse, quod quidam credunt, necessarium esse, vt dicamus Christum hîc reprehendere Pharisæos, ob falsam expositionem legis, eò quòd hęc verba, & odio habebis proximum tuum, nō inueniantur in lege expresse posita, & q̄d Leuit. 19. scriptum sit, non oderis fratrem tuum in corde tuo, reprehendendo reprehendes socium tuum, & non feres propter ipsum peccatum. Non vlciscēris neq; obseruabis vel custodies filios populi tui ex sequentib⁹ patebit. Quo autem clarius hoc euadat, explicabimus primo verba hęc, Diliges proximum tuum iuxta mentem ipsius Christi. Cum Iesus per parabolam quam adduxit Pharisæo, qui seipsum volebat iustificare, & quęrebat, quis est proximus meus, ostendit quod in hoc dicto: Diliges proximū tuum sicut teipsum, vocabulum proximi significet illum, qui alicui benefaciat, erat

erat sensus huius dicti. Diliges, id est opera dilectionis ostendes, proximo tuo, id est, illi qui tibi benefecit, ex quo mandato sapientes Israelis, per contrarium sensum concluserunt, igitur possum sine offensione Dei, eum qui malè mihi fecit non diligere, id est, opera dilectionis nō exhibere, quod est odisse hoc in loco. Nā mens Christi est apud antiquos ob imperium principis huius mundi, non peccasse contra legem illum, qui ei à quo malis affectus fuerat, opera dilectionis nō exhibuerit. Cui sententiæ prædicta verba Mosis Leuit. 19. non aduersantur. Hæc enim verba non odio persequeris proximum tuum in corde tuo, nō pręcipunt, vt quis hosti suo benefaciat, sed tantum imperant, vt omne erga ipsum odium deponat. Facilè enim fieri potest, vt quamuis quis aliquem nullo odio prosequatur, tamen ei nō benefaciat. Hæc autē verba, Non vlciscēris & non obseruabis filios populi tui, tantùm prohibent vindictam, & nullo modo mandant, vt quis hosti benefaciat.

Hanc verò speciem vindictæ & custodiæ, vt

diæ, vt Moſes loquitur, prohibent, quæ oritur ex illis negotiis, quæ corpori, bonis & honoribus damnum non inferunt. quale eſt ſi peterem abs te, vt mihi accomodato dares ſecurim tuam, tu autem eam dare nolles, & accideret vt venires poſt biduum aut triduum ad me petitum meam, & ſi eam tibi recuſarem, dicerer me in te vlciſci, quòd ſi verò dicerem, ego non agam tecum quemadmodum tu mecum egiſti, & darem tibi eam accomodato, tũc dicerer cuſtodire te, id eſt, cuſtodire quòd mihi ſecurim tuam accomodato non dediſſes. Nullo modo autem prohibent vindictam illam, quam lex cõcedit, ſi quis corpore vel bonis vel honoribus ab alio læſus eſt, de hac enim alibi dictum eſt, quemadmodum ipſe fecit ſic ipſi fiat, vt exempla totius ſcripturæ ſacræ demonſtrant. Poſtquàm verò rectè putamus id nõ tantùm in ſcriptura eſſe, quod expreſsè ſcriptum in ipſa legimus, ſed etiam omne illud, quod ex ea, per bonas conſequentias concluditur, apparet infirmum eſſe, quod adductum fuit contra nos. Atq; hæc pro defenſione veritatis in

tis in 5. caput dixiſſe pro explicatione, ſufficiat.

Poſtquàm ſolidè vt cuiuis mente prædito palam eſt à nobis confutata ſunt dicta illa, quæ contra noſtram ſententiam ſolita fuerunt ex ſcriptura adferri, nemo non videt immotum ſtare, quod diximus ex prædictis ſcilicet ſapientum Hebræorum libris, veritatem in ſententiis quæ à DEO manifeſtata fuit in ſuo populo ante aduentum Meſsiæ, ſine labore ab intelligente Hebræum idioma et perito philoſophię peti poſſe. Hoc autem verè noſſe affert magnum adiumentum perueniendi ad ipſam veritatem.

TRACTATVS ſecundus, de Iuſtificatione hominis coram Deo.

SIcut apud homines non is tantùm iuſtificari dicitur, qui iuſtè fecit & non peccauit: ſed etiam is, cui omnia peccata ſua condonantur, ac ſi feciſſet iuſtitiam. Nec remittuntur tantùm peccata,

verùm etiam adduntur præmia iustitiæ debita: velut si quis homicidæ donet vitam, & insuper illum recipiat in familiam, & adoptet in hæredem. Ita quoq; scriptura duos hos iustificãdi modos nobis proponit: Vnum per fidem secundum gratiam, quando condonantur hominibus peccata priora, & imputatur iustitia, pro ipsorum persona, & tota posteritate. Sic, vt omnes, quotquot ex illis nascuntur, sint populus Dei, iuxta fœderis formulam: Gen. 17. ℣ 7. Ero Deus tuus, & seminis tui post te. Alterum ex operibus legis secundum debitum, cum bona hominum opera Deus grata & accepta habet, ac illis testimonium perhibet quòd secundum legem suam sint facta, ac rependit mercedem, iuxta illud: Qui fecerit ea viuet in eis. Non perdet mercedem suam. Retribuetur illi in resurrectione iustorum. Leu. 18. ℣ 5. Eze. 20. ℣ 11. Math. 10. ℣ 24. Luc. 14. ℣ 14.

De Primo Modo Ivstificationis.

PRimus modus (qui dicitur iustitia imputatio-

putationis) in nostris bibliis non legitur contigisse, nisi bis, vt Deus totam aliquam gentem reciperet in fœdus, & in populum adoptaret. Primum in Abrahamo. Deinde post Christi ascensionem, in gentibus. De his duobus temporibus loquitur Paulus, cum dicit: Sicut Abrahamo imputatũ est quòd credidisset Deum præstare posse quicquid promisisset: ita & nobis (gentibus) imputabitur credentibus in eum, qui suscitauit Iesum ex mortuis Rom. 4 ℣ 22.

Quod autem Abrahamus cum tota posteritate fuerit receptus in populum, manifestum est inde, quòd Deus se ipsius, & seminis ipsius Deum profitetur. Gen. 17. ℣ 7. Et passim inculcat Moses Iudæorum populum vnum electum esse, aliis populis reiectis, Deut. 32. ℣ 8. Cùm diuideret, inquit, altissimus terram, & in cõspectu ipsius essent omnes gẽtes, quando separauit filios hominum, statuit terminos populorum, secundum numerum filiorum Israel. Hinc populus Israel primogenitus Dei dicitur, genus electum, regale sacerdotium, sanctæ arboris sancti rami,

26/b

cti rami, sanctæ massæ, sancta cõsperſio. Exo. 4. ℣ 22. & 19. ℣ 6. 1. Petr. 2. ℣ 9. Rom. 11. ℣ 7. Inde illa: Notus in Iudæa Deus. Pſal. 76. ℣ 2. Et: Non fecit taliter vlli nationi, nec iudicia ſua manifeſtauit eis. Pſal. 147. ℣ 12. Hanc receptionem vocat ſcriptura plantationem vineæ. Iſaiæ 5. Inſitionem. Rom. 11. Adoptionem Rom. 9. Matrimonium. Ezech. 16. Ius ciuitatis. Eph. 2. Vt ita magnitudinem illius beneficii aliquomodo deliniret, & propagationem iuris hæreditarii in liberos & poſteros oſtendat.

Sic quod gentes hac eadem conditione pro ſe & poſteris ſint receptæ in populum Dei, per fidem eam, quòd Ieſus eſſet Chriſtus Dei, vt omnes ex ipſis nati, eſſent & dicerentur eccleſia, populus & filii Dei, docent eædem locutiones & ſimilitudines, quæ ad eas ab Apoſtolis accomodantur. Nam & illi dicuntur inſiti in oleam. Rom. 11. Vt non amplius ſint oleaſter, nec giguant oleaſtrũ, poſtquàm pinguedinis bonæ oleæ participes ſunt facti. Dicuntur adoptati in ius filiorum Dei, vt non amplius immundos gignant liberos,

liberos, ſed ſanctos. Rom. 8. ℣ 21. 1. Cor. 7. ℣ 14. Dicuntur ius ciuitatis conſecuti eſſe, & facti ciues ſanctorum & domeſtici Dei, cum antea eſſent alienigenæ. Epheſ. 2. ℣ 19. vt ita omnes ipſorum liberi, ſint nati ciues eccleſiæ, non adoptati. Dicuntur eſſe Chriſti ſponſa, quæ illi & eccleſia illius gignat liberos: non adulterinos vt ante. Eph. 5. ℣ 25. Dicuntur participes facti ſpiritualium bonorum, quæ habuerunt Iudæi, & coaluiſſe cum eis in eundem populum, in eandem Rempub. Iſraelis, in idem corpus, in eandem maſſam & panem, in idem regnum & ſacerdotium: ita, vt leges, iura (exceptis ceremonijs) promiſsiones, præmia, Deum, Chriſtum, baptiſmum, fidem denique omnia cum Iudæis habeant cõmunia. Vnde hoc ſequitur. Inter maiores noſtros, qui primi Euangelio crediderunt, & nos hoc eſſe diſcrimen, quòd illi credendo iuſtitiæ imputationem conſecuti ſunt, vt Dei populus ex non populo fierent: nos verò nati ſumus ſancti. Illi per adoptionem: nos natura. Ita tamen, ſi in benignitate Dei permanſerimus, ſanctè viuendo,

Imputationis verò illius priuilegium hoc est, quòd promissiones illæ, quæ in nostris Bibliis sunt, non ad alios pertinent, quàm ad illos, qui in cœtu sunt, qui iustitiam imputationis, vel per fidem accepit, vel ab vtero secum attulit. Quia certum est, nec Mosis promissiones quicquam pertinere ad præputiatos ante Christum, nisi per circumcisionem cum Iudæorum populo coniungerentur: nec Christi & Apostolorum ad eos, qui extra Ecclesiam manserunt, & Christum repudiarunt. Vnde illud emersit: Extra ecclesiam non esse salutem, quantum scilicet ex nostris Bibliis scire possumus. Sic tamen ad ecclesiæ filios pertinēt illæ promissiones, si adulti per iustitiam operum, vocationem suam confirmarunt. Quia cum cōditione offeruntur: Si præcepta mea custodieritis: si in viis meis ambulaueritis: si feceritis quæ ego præcipio vobis: si opera carnis mortificaueritis, &c. Alioqui si hoc non fiat, circumcisio vertitur in præputium, iustitia in peccatum, vita in mortem, ex amicis Dei fiunt hostes, ex domesticis alienigenæ, ex populo

populo non populus, & çquè perduntur à Deo, ac si nunquam in populo, aut Ecclesia illius vixissent, nisi agant pœnitentiam, & ex toto corde ad Deum conuertantur dum tempus est, & quærāt ipsum dum inueniri potest. Isa. 55. ℣ 6.

Præterhæc duo tempora nusquam meminerunt Biblia nostra imputatæ fidei: operis imputati ad iustitiam, & datæ mercedis meminit Psalmus. 106. ℣ 31. in Phinees, cui cum posteritate donatur perpetuum sacerdotium. Ideò & nobis cum scriptura loquendum est, si volumus errores vitare, & imputationem nō faciamus omnium temporum. Sed illic eam constituamus, vbi eā constituit scriptura.

De Secvndo Modo Ivstificationis.

ALteram iustitiam, quæ operum est, requirit Deus in Abrahamo, Gen. 17 ℣ 1. dicens: Ambula coram me & esto perfectus, &c. Et eam ita requirit, vt nolit quippiam prodesse illi, & posteris eius, sancti generis gloriam, nisi in obser-

uatione mandatorum ambulent. Imò di
sertè per Mosen commimatur se disper-
surum eos inter gentes si peccent, & o-
mnibus maledictionibus subiecturum.
Deut. 4. 9. 11. 28. Contra autem & præ
mia proponit amplissima seruantibus
mandata. Exod. 19. ℣ 6. Ob quam cau-
sam etiam per Mosen illis legem suam
tradidit, vt haberent vitam & mortem
ante oculos propositam: illam si obedi-
rent, hanc, si peccarent. Deut. 30. ℣ 19.

In illa lege disertè distinguit inter pec
cata ad mortem, (quæ nullam habebant
per sacrificia expiationem) & alias i-
gnorantias, pro quibus instituebat sacri-
ficia, vt in hac etiam parte, per ignoran
tiam nihil excusare possent: de qua re in-
fra latius. Interim tamen Deus, vt est
multæ misericordiæ, etiam capitalibus
illis aliquando proposuit remedium: si,
videlicet, ex toto corde, & in tempore
resipiscerent. Tum enim promisit se pro
pitium futurum iniquitati corum, vt ita
rent. Hac ratione sæpè conseruati sunt,
vt ab irato Deo non perderentur, cum
placatus

placatus post tergũ reiecit peccata, aut
in profundum maris, eaq; non imputa-
uit. Sic enim ex hostibus rursum fiebant
amici, & in Republica Israelis locum
suum tuebantur.

Hanc remissionem peccatorum fide
accipiebant, cum crederent Deum sibi re
ignouisse. Ideo, etsi scriptura nus-
quam sic vocat, videtur tamen & hæc re-
ceptio in gratiã posse dici iustitia fidei,
si modo hoc obseruetur, non extendi e-
am ad posteros, sed esse singularum per-
sonarum pro se. Verùm tutius est cum
scriptura loqui.

Si verò seruarent mandata Dei, & cu
stodirent præcepta eius, dicebantur iu-
sti, ex illis suis operibus, dicebantur vi-
uere per illam suam iustitiam, quæ co-
ram Deo, & erat, & vocabatur iustitia,
& promissionẽ mercedis amplissimam
habebat. Ezech. 18. ℣ 1. 2. 3. &c. Leuit.
26. Deut. 28. Eccles. 15. ℣ 14. &c. Sic
Noah vocatur iustus. Gen. 6. 8. 9. Sic
Ezechias dicitur coram Deo ambulasse
corde perfecto. 1. Reg. 15 ℣ 14. Sic Da-
uid dicitur custodiuisse vias Iehouæ, &

non egisse impiè coram eo. 2. Reg. 20. ℣ 3. Psalm. 17. ℣ 22. 2. Reg. 23. ℣ 25. 1. Reg. 22. ℣ 43. &c. Sic Christus vocat iustitiam operum, Math. 5. ℣ 20. Nisi inquit, abundauerit iustitia vestra, plusquã Scribarum & Pharisæorum, &c. Sic, Deut. 24. ℣ 13. Redde proximo tuo pignus ante vesperam, & habebis iustitiam coram Iehoua Deo tuo.

Et. 1. Ioan. 3. ℣ 7. Qui facit iustitiam iustus est, sicut & ipse iustus est. Nisi enim coram Deo valeret hæc iustitia, neque sic appellaretur, neque secundum eam daretur merces à iusto iudice, sicut promittit Christus. Math. 25. ℣ 34. Venite benedicti patris mei, quia cibastis, potastis, & vestiuistis me &c. Quare & nos non dubitamus eam vocare iustitiam. Et quidem talem iustitiam, quæ coram Deo valet, & habet præmii & mercedis promissionem.

Demonstrata est hactenus duplex in verbo Dei iustitia: imputationis, videlicet, per fidem, & bonorum operum. Illa legitur contigisse, in sacris Bibliis, & complectitur (vt dictum est) totas familias

lias ac nationes, cum posteritate vniuersa, & peruenit ad gentes, quæ primum crediderunt per hanc fidem, quòd Iesus ille à Iudæis crucifixus, esset Christus & rex à Deo declaratus in potentia (non in actu) Rom. 1 ℣ 4. Hæc verò in iis requiritur, qui per imputationem in populũ Dei cooptati sunt, & habet promissionem mercedis & præmiorum apud Deum, qua si destituãtur, damnantur à Deo.

Sed quærat aliquis: Cum certum sit historiam Noui testamenti, vix ad summum cõplecti tempus quinquaginta annorũ: Quomodo nos Germani, Hungari, Bohemi, Poloni, &cæt. ad Ecclesiam aggregati sumus, & imputationem iustitiæ consecuti, quorum maiores certè ab Apostolis instituti non sunt? ℟. Si historiis credendum est, factum id est alicubi prædicatione verbi, vagantibus subinde inter Barbaros, piis Episcopis & Monachis. Alicubi etiam armis adacti populi Christianismi professionem receperunt. Quibus temporibus etsi summæ fuerunt in doctrina tenebræ, & multiplices superstitiones: tamen negari non potest

poteſt, ſemper retentam fuiſſe illam verborum formulam, quòd Ieſus eſſet Chriſtus & ſeruator mundi, quanquam parũ intelligeretur vis verborum illorum. Et euentus ipſe oſtendit eos, relictis ferinis & barbaris moribus, ſe ad vitam, Deo & eius Euangelio dignam cõuertiſſe, quod præcipuum verorum filiorum Dei eſt argumentum.

Nec nobis, vt opinor, aut quærenda, aut reddenda eſt ratio, cur Deus voluerit eos in tantis doctrinæ tenebris ad pietatem vocare: ſed illud potius curandum eſt, vt agamus illi gratias, quòd multos doctrinæ errores clementer nobis patefecerit, ac totſeculorum conſenſum chriſtianum inter nos nomen retinuerit ſic, vt Chriſtianorũ parentum vocemur filii: tantùm enim abeſt, vt in doctrina, aut interpretatione ſcripturæ obortus apud maiores error, ius imputationis poſteritati eripiat, vt nec manifeſta ſcelera eorum id poſsint efficere facilè. Neque enim quicquam obfuit Ioſiæ, quòd pater Amon, & auus Manaſſes fuerunt ſcelerati & idololatræ: ſed habitus eſt filius

lius Abrahæ, & ſancti generis ſancta ſoboles, quantum ad ius ciuitatis Dei attinet. Et cum deinde eſſet pius, ac timeret Deum, accepit quoque præmia illa, quæ Deus ſeruantibus mandata propoſuit, nec opus habuit noua imputatione.

Igitur & nos conſtanti tot ſeculorum conſenſu, & rei ipſius certitudine conuicti, de imputatione iuſtitiæ ſimus ſecuri, nec dubitemus nos eſſe populum Dei, modo ita, vt filiis Dei dignum eſt, ambulemus. Quòd ſi facimus, certò expectemus promiſſa præmia & vitam æternam. Et ſi præoccupamur à delicto, ſpem quoque veniæ, per celerem pœnitentiam concipiamus. Horum nihil poſſunt expectare ij, qui extra populũ Dei cenſentur, quantumquidem in noſtris Bibliis perſcriptũ ſit. Nam extra illa nihil attinet nos aliquid ſtatuere: ſed Deo occulta ipſius iudicia relinquamus.

Nunc poſtquàm vidimus qualis ſit illa imputatio, de qua Paulus diſputat, & quomodo ad nos quoque peruenerit, videndum eſt quid Deus à nobis requirat, vt vitæ æternæ promiſſam hæreditatem conſequa

consequamur. Nobis qui in cœtu Christianorum nascimur, sicut antea populo Israelitico post adoptionem, duo proponuntur. Iustitia operum, vt legem Dei seruemus: & remissio peccatorum, cum delinquimus, si tamen tempus gratiæ nō negligimus.

Iustitia operum examinanda est secundum præcepta Decalogi, nam in eo Deus nobis vitam & mortem proposuit: cuius summa est, vt diligamus Deum nostrum ex toto corde, anima & omnibus viribus, & proximos nostros vt nosmet ipsos. Math. 22. ℣ 37. Quæ verba non requirunt impossibile quiddam, quòd nullus homo aut præstiterit, aut præstare etiam possit: sed excludunt hypocrisim, vt non in gratiã hominum simulemꝰ pietatem, aut exhibeamus seruitutem oculorum, vt Paulus vocat, Rom. 1 ℣ 29. intus verò simus pleni omni impietate, sed syncerè & verè credamus Deum nostrum, & seuerum & iustum esse vltorem peccatorum, ac mirificum retributorem bonorum operum. Ac ita ei in timore & tremore seruiamus, ac proximo nostro nihil

nihil faciamus, quod nolimus nobis ab ipso fieri. Id enim est illud diligere nosmetipsos.

Sic scriptura solet loqui, cum vult synceram affectionem significare, in qua nihil sit fictum, nihil simulatum, Dicit, ex toto corde, ex tota anima, ex totis viribus. Et multis reddit hoc testimoniũ, quòd præstiterint id, quod nequaquam fieret, si nemo præstare posset. Sic enim dicit. 2. Paralip. 15. ℣ 12. Intrauit Rex Asa cum populo, vt quęreret dominum Deum patrum suorum, in toto corde, & tota anima sua. Sic obligat se populus vltrò, ad talem obseruationem legis: Exod. 24. ℣ 3. Iosue. 24. ℣ 21. 24. Nequaquam facturus, si intellexisset præcipi impossibilia. Et quis dubitat eos melius intellexisse phrasim linguæ suę, quàm nostros intepretes? Sic, cor Regis Asa fuit perfectum coram Iehoua. 1. Reg. 15. ℣ 14. Sic Dauid custodiuit præcepta Dei. 1. Reg. 11. ℣ 34. & secutus est eum ex toto corde, faciens quod placitum esset in cõspectu eius. Et 1. Reg. 14. ℣ 8. Non declinauit ab omnibus quæ præcepit ei, exce

pto

pto sermone Vriæ Hithæi. 1. Reg. 15. ℣ 12. Sic Iosias non declinauit ad dextram aut sinistram 2. Reg. 2. ℣ 2. Et reuersus est ad Deum in omni corde suo, & in tota anima sua, & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Mosis. 2. Reg. 23. ℣ 35. Legatur Psalmus. 119. Vbi nihil aliud prædicat Dauid, quàm se ex toto corde exquisiuisse, custodiuisse, meditatum esse, & seruasse mandata Dei, quæ sunt lucerna pedum, desiderabiliora super aurum & argentum, dulciora melle & fauo. Vide Deut. 11. ℣ 26. 27. 28. & Eccle. 15. ℣ 17. Deut. 30. ℣ 11. 12. &c. Et Paulus post christum aliud à suis nihil requirit, nisi vt dilectionem eam præstent, quam requirit Moses, Deut. 6. & 5. Mat 22. Rom. 13. Gal. 5. & Rom. 8. 4. quoque vult legis iustitiam in illis impleri, viuentibus secundum spiritum. Et. 1. Ioan. 5. ℣ 3. Hæc est charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Itaque blasphemus in Deum error est: dicere Deum præcepisse impossibilia.

Obiicit Lutherus. Sensus carnis non potest

potest subiici legi Dei, quæ est spiritualis, Rom. 7. ℣ 14. & 8. Renati habent sensum carnis, iuxta illud: ego autem carnalis sum, venditus sub peccatum. Ergo renati non possunt subiici legi Dei. Et per consequens, nemo potest eam seruare.

℟ Secunda propositio falsa est, quia Paulus ipse de renatis dicit: vos autem estis in spiritu, nō in carne. Qui in Christo Iesu sunt, non secundum carnem ambulant, crucifixerunt carnem cum concupiscentiis suis, sunt mortui peccato, &c. Et cūm dicit se esse carnalem, non loquitur de se renato, sed sustinet personā eius, qui adhuc peccati seruus est, qui secundum carnem ambulat, & sine lege viuat, ac multa facit contra conscientiam, secutus cōcupiscentiā suam ducem. Quo modo enim ipse Paulus cōuersus erit adhuc carnalis, si auditores ipsius non amplius sunt carnales, sed sunt in spiritu? Quis dicet Paulum non tantùm habuisse spiritus, quantum habuerunt auditores, cum fatetur non se amplius viuere, sed Christum in se? Imò, quomodo de Apo

stolo hoc dici poterit, cum de impiis gentibus omnibus, non n ausit ita loqui ipse: sed dicit: Eratis aliqui tales (non autem omnes) 1. Cor. 6. ℣ 11. Paulus sensum carnis non vocat affectus naturales, aut rectam rationem, sed concupiscentiam, trahentem secum captiuam, legem mentis, seu rationem. Talis sensus in pijs non est, qui non patiuntur in se regnare peccatum. Nam qui ex Deo natus est, nõ potest peccare: at, qui facit iniustitiam, ex Deo non est, 1. Ioan. 3. ℣ 9.

Ex priore hoc fluxit alter error: legem, videlicet, non ad hoc datam esse vt seruetur, sed vt impossibilitate sua ostendat omnia quæ facimus esse peccata, & ita ad gratiã Christi nos perducat. Nam & hîc scriptura contradicit, quæ passim clamat, Deut. 30. ℣ 14. Propinquum est verbum in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud, vt diligas Iehouam, vt obedias voci eius, & adhæreas illi. Sic Deut. 4. ℣ 1. Audi Israel præcepta quæ doceo te, vt faciens ea, viuas. Item, Deut. 32. ℣ 46. Ponite corda vestra in omnia verba mea, quæ ego testificor vobis hodie, vt mandetis

detis ea filiis vestris, custodire & facere, & implere vniuersa, quæ scripta sunt in volumine legis huius. Nõ enim verbum hoc frustra datum est: sed est vita vestra. Sic cap. 5. ℣ 1. Discite ea & opere complete. Et ℣ 33. Docebis eos, vt faciant ea: custodite igitur & complete ea quæ præcipit vobis dominus, nec declinetis ad dextram, nec ad sinistram, sed per viã, quam præcepit vobis dominus ambulabitis, vt viuatis, & benè sit vobis, &c.

Iam quare promittit se benefacturum in mille generationes, seruantibus mandata, si non ideò dedit vt seruentur? Exod. 20. ℣ 6. Quare Christus exprobrat Iudæis, Ioan. 7. ℣ 19. Nemo ex vobis seruat legem? Quare Deus punit transgressores, si non vult vt seruentur? Nata autem est peruersa illa opinio, ex male intellecto Paulo. Nam cum dicit: per legem cognitio peccati, Rom. 3. ℣ 20. Lex iram operatur, Rom. 4. ℣ 15. Subintrauit vt abundaret delictum. Est virtus peccati. Rom. 5. ℣ 20. 1. Cor. 15. ℣ 56. Propter transgressionem posita est. Gal. 3. ℣ 24. Est pedagogus ad Christum, &c.

Hinc inferri solet: ergò non ad hoc data est vt seruetur, sed vt ostendat peccatū. Respondeo. Fines vnius rei diuersi, non tollunt se mutuò. Nam vtrunq; & de hac Dei lege, & de aliis omnibus prædicatur. Primum, quòd ad obedientiā obligent. Deinde, quòd ostendant peccatum, & si violetur, operetur iram, ac pergant ad gratiam confugere. Imò quomodo potest peccatum ostendere cum violatur, si non ad hoc data est vt seruetur? Tunc enim transgressio nō esset peccatum, nec imputaretur, sicuti cum lex nondum fuit. Et quis ferret de humanis legibus sic dici? Leges ciuitatis huius ostendunt quid sit peccatum: Ergo non debent seruari, nec ideo datæ? Quantò minus de lege Dei id dici debet, qui tam seuerè præcipit eam seruari.

Deinde & hinc decepti sunt, quod legerunt alicubi damnari humanam iustitiam & opera legis, nec intellexerunt quo sensu illa dicerentur. Nam scriptura nusquam damnat bona opera, sed commendat ea ac extollit in multis: sed hypocritica & simulata opera damnat & ceremonias,

nias, cum in illis iustitia cōstituitur. Vt cum Iudæi haberent manus inquinatas sanguine, & vellent Deo obtrudere sacrificia, reiicitur etiam sacrificia ipsa, quæ alioquin Deus mandarat, sed non pro tantis facinoribus. Inde sunt illa: Num ego sacrificium requiro de manibus vestris? Nauseo ad victimas vestras. Isa. 1. ℣ 11. 12. Et, Isa. 66. ℣ 3. Qui bouem mactat, perinde est vt qui canem excerebret, &c. Quando itaque tales sunt mores hominum, tum dicere coguntur, omnes iustitias suas esse instar panni immundi. Isaiæ 64. ℣ 6. Sic tempore Christi & apostolorum Pharisæi faciebāt iustitiam suam coram hominibus. Erant persecutores Christi, sepulchra mortuorum, hypocritæ: volebant suam, & traditionum suarum iustitiam stabilire, Dei autem iustitiæ nolebant subiici, Rom. 10. ℣ 3. Interim circumcisione & aliis ceremoniis volebant se Deo venditare. Ideò grauissimè passim reprehenduntur, & ad pœnitentiam vocantur. Deinde ex credentibus Iudæis erant zelotæ, qui negabant gentiles posse Dei populum esse sine circumcisione

cumcisione. Act. 15. ℣ 1. Ideò cum ipsi legem non seruarent, & aliis essent molesti ceremoniarũ inculcatione passim à Paulo refutantur, ostendente reuelationem mysterii ab æterno ignoti de gentium hac receptione in præputio, Gal. 5. ℣ 2. Rom. 16. ℣ 25. Eph. 3. ℣ 9. Hac occasione damnat opera legis ceremonialia, non simpliciter, sed quod gentibus obtruderentur. Deinde diserte comemorat peccata priora quæ fecerant, & ex illis negat eos saluari posse. Non ex operib. inquit, iustitiæ quæ nos feceramus. Tit. 3. ℣ 3. Qualia erant illa? Eramus & nos, inquit, aliquando increduli, ambulantes in concupiscentiis carnis, &c. Vide Tit. 3. Quare cum dicitur Rom. 3. ℣ 20. Ex operibus legis nemo iustificatur. Intelligi debet de hypocriticis operibus Decalogi, & de ceremoniis pietate vacuis, imponendis gentibus. Ita enim Paulus ipse interpretatur ad Rom. & ad Galat. & Titum, vbi contra hypocrisim ex professo disputat. Ita nunc, dum viuimus communi more hominum, peierantes, mœchantes, latrocinãtes, &c. rectissimè dicitur:

Non

Non iustificabitur ex operibus suis vlla caro. Aut, ex tali christianismo nemo iustificabitur. Sed si qui sunt, qui timent Deum, sicuti nequaquã dubitari debet, etsi digito non semper monstrari possunt: illi audacter dicere possunt: Domine redde mihi secundum puritatem manuum mearum: iudica me secundum iustitiam meam, &c. Psal. 7. ℣ 9. Tales in iustitia sua viuunt, Ezech. 18. ℣ 23.

Igitur discernenda diligenter sunt tempora, quando ex operibus suis nemo iustificetur, & quando iustus viuit in sua iustitia. Dauid adulter factus, non iustificatur ex operibus legis: deinde cum piè vixit, habet iustitiæ testimonium ex operibus suis in verbo Dei. Paulus Pharisæus & persecutor, non potest ex operibus legis iustificari: ideo fatetur se, per stercore habuisse illam iustitiam legis (vt appellat Phil. 3 ℣ 8. Alibi autem Iudaismum, Pharisaismum. Gal. 1. ℣ 13. Traditiones, paternam legem Act. 22. ℣ 3. & 26.) sed cum in ministerio suo optimè versatus esset post conuersionem, audacter ad iustum iudicem appellat: quam reddet mihi, inquit,

hi, inquit, iustus iudex in illa die, 2. Tim. 4. ℣ 8. Iam iustum iudicem scriptura non de fide vsurpat, sed de factis.

Obseruetur autem & hoc: Illæ locutiones Rom. 3. ℣ 13. Omnes peccauerunt, non est qui faciat bonũ, ne vnus quidem, &c. non ad singulos homines pertinere, sed ad singulos populos, Iudæos & Græcos. Vult enim docere, in vtroque populo esse plurimos flagitiosos. Nam in Psalmo 13. ℣ 3. diuersa ista dicuntur tantùm de impijs illis, qui dicunt non esse Deum. Non autem de Dauide, aut piorum ecclesia, de quibus ibidem dicitur, ℣ 6. Dominus autem in cõgregatione iustorum est.

Deinde Pauli tempore, non omnes æqualiter erant homicidæ, fures, masculorum concubitores, ne inter gentes quidem, vt ipse idem cogitur dicere: 1. Cor. 6. ℣ 11. Eratis, inquit, aliqui tales. Ideo phrasis rectè intelligeda est, nam ipse Paulus rectè interpretatur: Omni facienti malum, Iudæo primum & Græco, Rom 1. Negabant autem Pharisçi se esse ita impuros vt gentiles, propter prærogatiuã generis Abrahamici. Præterea & hoc obseruandum

seruandum est. Sententias eiusmodi: non est homo qui non peccet, 1. Reg. 8. ℣ 46. Et, Ab occultis meis munda me, Psal. 19. ℣ 13. loqui de peccatis ignorantiæ, qualia sæpè inter homines ab imprudentib. committuntur, quæ si Deus mox morte puniret, verè nullus homo viueret, & innocens coram illo nõ esset innocens. Sed nos non cõparemus hominem cum Deo. Nam illius sanctitatem nemo cõsequi potest, neq; eam perfectionem à nobis requirit: sed ad legem Dei referamus iustitiam operum, quòd si lex illa non damnat, sed approbat, tum vocantur iusta bona, & sancta, & iustificat illos qui ea faciunt: nam si bona non essent, quorsum scriptura requireret bona opera, quę nemo præstare posset? Imò quomodo vocaret bona opera? Quomodo Paulus diceret fideles creatos esse in Christo ad bona opera, quæ Deus præparauit, vt ambulemus in illis, Eph. 2. ℣ 10.

Quod verò obiicitur Math. 5. ℣ 28. Qui videt mulierem ad cõcupiscendam eam, iam mœchatus est in corde suo. Sed omnes homines vident ad concupiscen-

3711

dum: Ergo omnes homines sunt mœchi. Et per consequens, nemo potest legem seruare, quandoquidem etiam cogitatio nes damnantur.

℟ Secunda propositio est falsa, quia qui Christi sunt, crucifixerunt carnem suam cum concupiscentiis, Gal. 5. ℣ 24. Nec idem est tentari à concupiscentia, & videre mulierem ad concupiscendũ. Nam hoc ad habitum & assuefactionem pertinet, cum omnes rationes quis secũ comminiscitur, vt potiri possit ea quam amat: illud ad subitam permotionem, seu affectionem: quæ recta ratione, & metu iræ Dei mox repellitur. Hoc modo tentari, neminem damnat: sed tentationi succumbere, id verò est quod damnat hominem. Tentatus est Ioseph, Gen. 39. ℣ 7. 8. Et certè si fuit homo, & non lapis, sensit & ipse quid caro esset: sed quia vincit tentationẽ timore Dei, nusquam illi scriptura sacra peccatum adscribit. Dauid cum Saulis iugulandi potestatem esset nactus in spelunca, 1. Sam. 24. ℣ 5. Certè sensit & ipse odium erga Tyrannum, accedente præcipuè comitis instigatione;

gatione: sed quia timet Deum, & non vult se polluere cæde, nusquam propterea reprehenditur, nec quicquam illi obfuit tentatio. Aliter longè affecti erant Pharisæi, contra quos Christus disputat. Nã illi satisfieri legi Dei prædicabant, si foris coram hominibus speciem sanctimoniæ conseruarent, etsi intus arderent odiis, libidine, & omnibus malis affectibus, quasi Deo cor non scrutaretur. Christus contra docet Deum etiam animos velle puros & sanctos, nec contentum esse hypocrisi. Esse igitur etiam peccatũ, si cor impurum esset, etiamsi factum non accederet. Sed tamen idem ipse, vt peccatum esse docet etiam cogitationes malas, ita discrimen & gradus ponit etiam in ipsis pœnis. Nam in primo gradu, leuior multò pœna constituitur quàm in tertio. Vnde minus esse colligitur irasci fratri, quàm dicere, fatue. Est igitur sententia: peccari quoque malè cogitando, si indulgeas affectui, si non excutias: sed subitas illas animorum affectiones, nequaquam in eo numero ponamus: quæ si sunt peccata, tantò sunt leuiora destinatis

natis facinoribus, quantum iudicium minoris Senatus tollerabilius est Gehenna. Si enim hoc non concedatur, mendacii arguetur scriptura, quæ prædicat multos iustè fecisse, quod verum non esset, si quæuis cogitationes apud Deum essent capitales, cum certum sit sanctos illos Dei homines, non alia habuisse corda, quàm nos habemus, vt, qui etiam tentari potuerint. Nec Iacobi dictum, Iac. 2. ℣ 10. Qui in vno peccat, est omnium reus, aliud vult, quàm deberi obedientiam toti legi, nec satis esse, si quis homicida non sit, & tamen sit adulter, sed & hoc, & illud, & alia omnia seruari oportere. Interim nusquam dicit legem seruatu esse impossibilem, imò iubet implere regalem legem, Iac. 2. ℣ 8. Nihil igitur aliud nisi prętextus est, legis impossibilitatem accusare, quo ita nosipsos decipimus, vt nec ab ipsis factis abstinemus, dum cogitationibus malis patrocinamur. Si Deum nostrum timeremus magis quàm gladium carnificis, qui tamen ludus est, si ad illum ignem vrentem conferatur, nullos profectò videremus fures, nullos adulteros,

teros, nullos homicidas, nullos ebriosos, &c. Quis enim tam demens qui aliquid horum committeret, si videret ad latus semper stare carnificem cum stricto gladio, qui mox in ipso facto eum iugularet? Certè quisquis diceret se posse abstinere, & refrigesceret facilè peccandi ille ardor. Sed quia fingimus Deum procul abesse, & aut non videre quæ facimus, aut non mox puniturum, ideò imbecillitate illa nobis blandimur, adeò vt fuerint qui scortationem inter imbecillitatem humanam numerent. Sed Deus non irridetur. Nunc itaque quid scriptura peccatum vocet videamus.

DE PECCATO.

Ioannes vocat peccatum quicquid fit contra legem Dei. 1. Ioan. 3. ℣ 4. Ἁμαρτία ἐστὶν ἀνομία. Huius duo proponit genera. Peccatum ad mortem, & peccatum non ad mortem. Peccata ad mortem vocat ea, quibus lex Dei sine exceptione denuntiat mortem, vt sunt idololatræ, cædes, adulterium &c. Nam qui talia faciunt, illorum anima iubetur extirpari ex populo Dei. Peccata non ad

mortem

mortem sunt quę fiunt ex ignorantia, nō destinato consilio, aut contra conscientiam, qualia sunt quæ Dauid vocat occulta, Psal. 19. ℣ 13. Item pollutiones, quæ à Mose describuntur, & alia, quæ lex Dei non punit: pro qualibus erant in lege sacrificia instituta, quæ Christus iubet remittere inuicem, Mat. 18. ℣ 22. pro quibus Ioannes iubet orare, 1. Ioan. 5. ℣ 16. &c. Hæc remittuntur, Deo benignè indulgente nostræ infirmitati, cum sciat nos esse carnem. Illa verò puniuntur in tertiam & quartam generationem. Exo. 20. ℣ 5. Seu vt Christus loquitur, nec in hoc, nec in futuro seculo remittuntur, quia sunt in spiritum sanctum, Mar. 3. ℣ 29. Per illa Deus, quem ore confitemur, re ipsa abnegatur: per illa sanguis testamenti conculcatur pedibus, Hebr. 10. ℣ 29. Per illa prophanatur templum Dei, & fit templum Diaboli, q reuersus illuc, assumptis aliis septem nequioribus se spiritibus, eam denuò occupat, vt ita nouissima illius hominis deteriora fiant prioribus, Luc. 11. ℣ 26. Neq; enim vsquam dicit lex: qui cædem fecerit sciens & volens,

lens, confugiat ad ciuitatem refugii (aut vt hodie fit, ad gratiam principis) & propitiabor iniquitati ipsius: sed contra: ab altari meo abstrahes illum, morte moriatur. Exo. 21. ℣ 14.

Hæc est sententia legis, & iusta Dei vltio, quæ omnes terrere debet, ne securè cum Deo ludant. Sic, 2. Pet. 2. ℣ 14. denunciatur idem fulmen iis, qui oculos habent plenos adulterii, & à peccando cessare nesciunt. Qui volutantur in inquinamentis mundi, in cupiditatibus carnis, & lasciuia, & impura cupiditate. Et quòd loquuntur de scortatione, cœdibus, & similibus flagitiis, tum ipsa verba palam ostendunt, tum etiam Sodomorum & diluuii exempla, vbi talia flagitia punita sunt. Eodem consilio & Paulus, 1. Cor. 10. colligit exempla peccatorum ad mortem, & proponit suis, ne similia facientes, similiter à Deo perdantur. Hoc enim est mori in peccatis suis, sicuti & Saul legitur occisus in peccato suo, 1. Paral. 10 ℣ 13. Nam si Deus illis non pepercit, multò minus parcet nobis, si spiritui gratiæ contumeliam faciemus, & illum contrista-

contristauerimus, Heb. 10. ℣ 29. Eph. 4. ℣ 30. Adeò sibi vbiq; constat scriptura, denuntians mortem iis, qui in talib. peccatis viuunt. Stipendium illorum mors est, ait Paulus Rom. 6. ℣ 23. Et: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt Gal. 5. ℣ 21. Propter hæc venit ira Dei super filios incredulitatis, Col. 3. ℣ 6.

De Peccato Originali.

Hæc de peccato disputatio, ad eos tantùm pertinet, qui, quid peccatum sit, per ætatem intelligere possunt, & inter dextram ac sinistram discernere. Infantibus scriptura nusquam peccatum vllum tribuit, nec punit lex Dei vllum, nisi transgressorem legis: siue eam facto ipso, siue impia mentis affectione, à qua superatur, violauerit. Nec aliunde opinio illa nata est, quàm ex prauo intellectu scripturæ, ad defendendam pædobaptismi superstitionem. Igitur ex ecclesia Dei explodenda est.

Obiectiones Pro Originali peccato.

1. Gen. 5. ℣ 3. Adam genuit Seth ad imaginem

imaginem suam in corrupta natura. Ergo à natura peccatum secum attulit.

℟ Est ambiguitas in antecedente, quia imago illa, non est in peccato, sed in similitudine speciei, quòd ex homine natus est homo. De brutis dicit scriptura, secundum speciem suam vnumquodque Gen. 1. ℣ 24. Nec semper eodem refertur imago, nec omnium rerum similitudinem complectitur. Homo ad imaginem Dei conditus est, hoc est, ratione donatus & imperio, quę dignitas, diuinum quiddam est: quis propterea dicat eum in omnibus fuisse Deo similem? Et cum Paulus colligit: 1. Cor. 11. ℣ 7. Vir est imago Dei, Ergo debet imperare vxori. Quis ferret ita colligentem: Mulier quoque est imago Dei: Ergo debet imperare viro? Igitur & hoc loco imago malè ad peccatum refertur, cum peccare nemo possit, nisi à præeunte cupiscentia prius tentetur, quàm postquàm concepit, parit peccatum: Iac. 1. ℣ 15. Quale nihil infantibus conuenit.

2. Psal. 51. ℣ 7. Ecce in iniquitate natus sum, & in peccato concepit me mater mea

ter mea: Ergo est peccatum originis.

℟ Est æquiuocatio vel ambiguitas ex non intellecta phrasi. Nam ista locutione significatur summa peccandi licentia per similitudinem. Nam ea quæ nobis innata sunt, non facilè possumus deponere. Quasi dicat: Ego non aliter peccaui, ac si mihi innatum esset. Hãc autem esse sententiam dicti, ostendit illud Ioan. 9. ℣ 34: cùm cæco dicunt Pharisæi: In peccato natus es, & nos doces? Quomodo illi possent obiicere pro crimine, quod in illis ipsis, & in omnibus aliis sanctis reperiretur? Similes locutiones sunt illæ: Isa. 48. ℣ 8. Præuaricator ab vtero vocatus es. Et, Psal. 57. ℣ 4. Peccatores à vulua alienati sunt, errauerunt ab vtero. Et Dauid de se, Psal. 21. ℣ 11. Tu es spes mea ab vberibus matris meæ. Hæc planè essent contraria: In peccato nasci, & in vtero sperare in Deum, si peccatum originis esset.

3. Eph. 2. ℣ 3. Eramus natura filij iræ, sicut & cæteri: Ergo nascimur in peccato originis.

℟ Paulus loquitur de Iudæis adultis, quorum

quorum circumcisio versa erat in præputium propter trãsgressionem legis, hoc est, qui Deum non minus habebant iratum, quàm gentes præputiatæ: quia gentium scelera erant imitati, sicut disertè nominat concupiscentiam carnis, in quibus eos ambulasse narrat. Ideò etsi natura essent genus electum, regale sacerdotium, populus Dei, filii Abraham: tamen propter peccata erant à Deo diuisi. Isa. 59. ℣ 2. Estq; similitudo in phrasi: nam natura filii iræ, significat, quasi naturales ethnici. Quia reipsa & simpliciter, nunquam circumcisio potest fieri præputium, aut natura sanctus fieri natura immũdus, prophanus, & filius iræ. Ideo & hic locus nihil ad infantes attinet.

4. 1. Cor. 15. ℣ 22. In Adam omnes moriuntur: Ergo natura sunt omnes peccatores.

℟ Paulus & hic loquitur de adultis, qui ea peccata, quæ cõmemorat Rom. 1. & 2. & 3. perpetrare potuerũt, quiq; viuificationem christi, quã opponit morti, intelligere, & amplecti potuerunt. Exposuit enim antea se loqui de iis, qui vel in lege,

vel sine lege peccarunt: illi omnes constituuntur peccatores, vnius delicto, quia peccatum & inobedientiam illius imitantur, qui peccādi fecit initium, & primus punitus est. Sicut in peccato Balam perit aut in peccato Iudæ, qui vias eorum imitantur, 2. Petr. 2. ℣ 15. Denique eos damnat verbum Dei, qui audire & intellige re possunt legem Dei, & eam non seruat. Illa singularia excipio, quando Deus peccata parentum visitat in liberis, vt fecit Dauidis spurio, 2. Sam. 12. Sed tamen infanti nullum peccatum ascribitur. De infantibus verbum Dei sic proponit, quòd nec bonum, nec malum sciant. Deu. 1. ℣ 29. Rom. 9. ℣ 11. Cùm verò adolescunt, extat mandatum Deut. 4. ℣ 9. Docebis ea filios tuos, vt custodient ea, & viuant. Quòd si secuti cōcupiscentiam violauerint legem Dei, tunc damnantur. At sicut medicus non gignit filium medicum: ita nec peccator gignit peccatorem: nam vtrumq; pendet ex adultorum delectu & voluntate, non datur à natura. Quare & nos cum scriptura loquamur. Et vocemus peccatum cum Ioanne, quicquid est contra

contra legem Dei. Originale autem peccatum monachorū fabulis relinquamus. Iam verò de peccatorum remissione, ex verbo Dei loquamur.

De Remissione Peccatorvm.

Sicut scriptura vocat Deum zelotem, visitantem iniquitatem in multas generationes, Exo. 20. ℣ 5. Et ignem consumētem. Deu. 4. ℣ 24. Ita in multis locis, idem ille prædicatur, Deus clemens & misericors, patiens & multæ misericordiæ, & ignoscens super malitia. Exo. 34 ℣ 6. Ioel 2. ℣ 13. Hanc ob causam reperiūtur sæpè promissiones gratiæ, & remissionis peccatorum: item exempla tectorum peccatorum. Sæpè etiam præcisè negatur omnis gratia & remissio, & puniuntur peccata sæuerissimè. Nam sicut Dauidi dicenti: 2. Sam. 12. ℣ 13 Peccaui domino, respondetur: reiecit dominus post tergum peccatum tuum: ita Sauli idem confitenti respondetur 1. Sam. 15. ℣ 24. 29. Triumphator in Israel non parcet, & pœnitudine non flectetur, neq; enim homo est, vt pœniteat eum. Hoc euentus ipse declarat, quia scribitur 1. Paral. 10. ℣

13. Deus occidit Saulem in peccato suo.

Dicuntur autem mori in peccatis suis, qui propter flagitia tollũtur, vel morte cruenta, vel immatura, vel alio aliquo modo: sic, vt iudicia Dei in illis fiant, manifesta, vt, quos terra absorbet, quos ignis egressus à domino deuorat. Vt scortator ille, Num. 25. Item qui ob facinora à carnifice iugulantur. Qua occasione sæpè etiam innocentes pereunt, vt, cũ familia Achan lapidatur propter furtũ, Iosue, 7. ℣ 24. Cum populus sæpè totus, ob vnius noxam punitur. Vnde dicuturi n duxisse peccatum super populum qui autores mali sunt, vt de Aaron dicit Moses, Exo. 32. ℣ 21. Huius autem diuersitatis, quod vni parcit, alteri non parcit, hic uenam reperit, alter non reperit, etiamsi cum lachrymis quærat, Heb. 12. ℣ 17. causa nulla à nobis reddi potest, præter liberrimam Dei voluntatem, qui, vt misericors, ita quoque iustus vult agnosci à nobis. Neque semper locum habet illud, quod interpretes adferunt, fictam & simulatam pœnitentiam hominum in causa esse, Quis enim dicet Dauidis simu-

dis simulatam fuisse pœnitentiam cum pro infante suplicaret. 2. Sam. 12. ℣ 16. Aut pro populo. 2. Sam. 24. ℣ 17. & tamen nihil impetrat, donec desæuiat vltio?

Obseruandum igitur est, scripturam offerre peccãtibus remissionem cum cõditione, seriæ & tempestiuæ pœnitentiæ, idq; vt plurimum indefinitè seu dubitanter, vt: si reuersi fueritis ad Deum ex toto corde, Deut. 30. ℣ 3. Quærite dominum dum inueniri potest, dum hodie cognominatur. Isa. 55. ℣ 6. Quis scit si conuertatur dominꝰ, & pœniteat illum mali, Ioel. 2. ℣ 14. Si fortè tibi remittatur hæc cogitatio cordis tui. Acto. 8. ℣ 22. Nam sæpè faciem suam abscondit, & non reperitur amplius, sed effundit phyalam furoris sui, vt ardeat ignis illius vsque ad nouissima inferorum, Deu. 32. ℣ 22. Iere. 17. ℣ 4. & 15. ℣ 14.

Præterea promissiones veniæ generales, quales sunt de reducendo populo, Deut. 30. Isa. 55. Non tam ad personas eas pertinent, quæ peccarant, quàm ad posteritatem, vt in Babylonicam captiui-

tatem multi abducti sunt, quorum plerique per illos septuaginta annos mortui sunt, nec veniam peccatorum speratam consecuti sunt, nisi in posteritate: sicut & promissio terrę Canaan post quadringentos annos vix in posteritate expleta est. Tales promissiones sunt obseruandę diligenter, ne illis abutamur, perinde ac si Iudæi dixissent: Deus iurauit patribus se daturum semini ipsorum terram Canaan, ad quam proficiscemur: ergo remittet nobis peccata, nec occidet in deserto: seipsos vehementer fefellissent, & tamen promissio Dei mansisset vera.

Quare mihi summa totius doctrinæ huius in eo videtur consistere, vt distinguamus inter tempus gratiæ: & tempus iræ. Quia dicit: dum inueniri potest. Isa. 55. ℣ 6. Nam cum Deus vult publicas pœnas inferre, & tempus iræ adducere, præmittit plerunque tempus gratiæ, & nunciat veniam pœnitentibus. Quòd si recipiatur, pœnitet illum mali, ꝙd cogitarat facere: sin repudietur, adducit tempus irę, nec amplius locum reliquit pœnitentiæ. Cùm priuatæ instant

pœnę.

pœnæ, interdum fit vt prænuncientur, vt cum Regibus mors, deletio stirpis, & similia à prophetis prædicuntur: interdum non fit. Hinc videmus sępè aliquem in ipso facinore deprehensum, vt adulterum, aut homicidam in manus carnificis tradi, & sine omni misericordia in peccato suo mori, nulla amplius relicta pœnitentiæ conditione. In Iudaico populo Deus illud sedulò obseruauit, vt ad pœnitentiam inuitaret, denuncians famem, pestem, gladium, & c. nisi resipiscerent. Hoc erat tempus gratiæ, de quo sunt illa: In quacunq; hora peccator conuersus fuerit, non recordabor iniquitatis illius amplius: Nolo mortem peccatoris: Si fuerint peccata vestra vt coccinum, dealbabuntur supra niuem: Conuertimini & conuertar ad vos, &c. Si autem negligerent has admonitiones, audiebant longè diuersas conciones, inculcabatur dies domini horribilis, dies luctus, dies iræ, dolores parturientis, &c. Hinc sunt illa: Excæca cor populi huius: Isa. 6. ℣ 10. Peccatum Iuda scriptum est coram me stylo ferreo: Iere. 17. ℣ 1. Si fuerit a-

nulus in digito meo, etraham illum & proiiciam: Iere. 22. ℣ 24. Vos clamabitis, & non exaudiam: Isa. 1. ℣ 15. Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te: Ier. 11. ℣ 14. & 14. ℣ 11. Hoc erat tempus iræ. Ita Ioannes, ita Christus nouissimo tempore: Agite pœnitentiam, securis ad radicem arboris posita est: si vultis credere ego sum: Gaudium est in cœlo, super vno peccatore resipiscente: Si filius vos liberauerit, verè liberi eritis, &c Sed cum nollent eum regnare super se, nec agnoscerent tempus visitationis, audiunt: Adducite illos huc, & mactate coram me: Non manebit lapis super lapidem: auferetur à vobis regnum Dei: Moriemini in peccatis vestris: Nescio vos: Cecinimus vobis, & noluistis saltare, &cæt. Sic Apostoli suos auditores diligenter adhortantur, vt meminerint quid fuerint, quid sint, & quid esse posthac debeant. Eratis, inquit Paulus Eph. 2. ℣ 12. sine Deo, sine promissione, sine Christo, &c. nunc facti estis propè, nunc abluti estis, nunc sanctificati, &c. Quid ergo in posterum? Ambulate igitur, inquit, in

vocatione

vocatione vestra vt dignum est: deponite hominem veterem, induite nouum: Estote imitatores Christi: Deus non vocauit vos ad immunditiam, &c. Nec vspiam legimus dixisse: etiam si sæpè peccabitis, vt omnes sumus corrupti natura, Deus tamen propter Christum semper vobis remittet. Sed contrarium potius: Nolite locum dare Diabolo: Nolite peccare: Ne regnet peccatum in mortuo vestro corpore: Nolite libertate abuti, ad occasionem carnis. Et constanter denunciant tempus iræ: Scortatores & adulteros iudicabit Deus: Stipendium illorum mors est: voluntariè peccantibus vobis, nulla restat alia victima. Et: qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt: Posteriora peiora erunt prioribus, &c.

Ergo ne desperandum nobis est, dicet aliquis? Nequaquam. Sed cogitet quisque hoc ipso momento sibi dici: Desiste à malo, & fac bonum, ac agat pœnitentiam quàm potest celerrimè, ne ira Dei, quæ peste & gladio reuellatur è cœlo ipsum apprehendat: quis scit an pœniteat Deum mali? fortè & nostri miserebitur,

modo

modo seriò & in tempore illum quæramus. Nemo ludat cum Deo, quia non irridetur, Gal. 6. ℣ 7. Si condonat etiã priuatim alicui peccatũ, nec punit, vel singulari exemplo, vel p Magistratum, agat illi gratias ex animo, clamet cum Dauide: Beatus vir cui dominus non imputauit peccatum Psal. 32. ℣ 2. Et non peccet amplius, ne illi deterius quid contingat. Ioan. 5. ℣ 14. Nam terra quæ sæpè imbrem frustra recipit: tandem vt sterilis repudiatur: & vinea quæ post longam expectationem, nil nisi labruscas parit, excinditur tandem. Istam seueritatem Dei cum alibi scriptura vniuersa, tum epistola Hebræ. 6. ℣ 3. & 10. ℣ 26. grauiter inculcat, etiam impossibile esse dicens, rales renouari, q se ita in omnem impietatem proiiciunt, vt porcus in volutabrum cæni, 2. Petr. 2. ℣ 20. Nam denunciatur mors vbique facientibus talia. Si tamen Deus velit, non est impossibile, id quod antea exemplis & promissionibus quibusdam ostensum est.

Hæc omnia eo tendunt, vt discamus iram Dei seriò extimescere, nihil habemus

mus quod nos excusare possit si peccemus. Nam & voluntatem eius scimus in lege expressam: & ad hoc legem suam nobis commendauit, vt eam seruemus & impleamus: & comminationes horribiles addidit aduersum transgressores. Et quanquam interdum veniã offert: tamen id non semper facit, sed contemtum bonitatis suæ, horribiliter vlciscitur, adeò vt cum lachrymis quæsita pœnitentia, nusquam reperiatur, Heb. 12. ℣ 17. Nec diu, ac multum pulsantibus fatuis virginibus aperitur, Math. 25. ℣ 12. Quare abutuntur sententia Ioannis, qui volũt semper eam debere esse fidelium confessionem, quòd peccatum habeant. Nam peccatum habere, & in carne esse, & secundum carnem viuere, idem sunt. Hoc autem nusquam tribuitur fidelibus, sed cõtrarium potiꝰ: vos estis in spiritu, Rom. 8. Item, Si secundum carnem vixeritis, (aut vt hic Ioannes loquitur, si peccatum habueritis) moriemini. Igitur non potest, nec debet semper esse in fidelibus, alioquin enim, non erunt templa, spiritus sancti, nec erunt ex Deo nati. Et sibi ipsi

47/b

ipsi contradiceret Ioannes, quia dicit (1. Ioan. 3. ℣ 9.) eos qui ex Deo nati sunt non posse peccare (ad mortem.) Si quis ita peccet, ille iam non est ex Deo, sed ex Diabolo. Nam qui Deum timet, & semen eius in se habet, ille citiꝰ mille mortes oppeteret, quàm aut adulterium, aut cędem conmitteret. Nam qui peccat, non vidit Deum, nec cognouit eum 1. Ioan. 3. ℣ 6.

Est igitur Ioannis sententia talis, 1. Ioan. 1. ℣ 8. Si dixerimus (nos qui mortui in peccatis, per Christum vinificati sumus, tum ex Iudæis, tum ex gentibus) quòd peccatum nō habeamus, aut quòd non peccauerimus (hactenus scilicet, nā loquitur de præterito) ipsi nos seducimus, & non est in nobis veritas. Si autem confiteamur (nunc) peccata nostra, fidelis & iustus Deus vt remittat nobis, 1. Ioan. 2. ℣ 1. Hæc scribo vobis filioli, vt nō peccetis (post hac.) Et si quis peccauit (hactenus) aut peccatum super se habuerit, habemus (nunc) Aduocatum apud patrem, &c.

Ita tota sententia aliud nō vult, quàm

præterita

præterita peccata esse ipsis condonata, per Christi mortem, in posterum requiri, vt ne peccent. Similis est Pauli sententia, 2. Tim. 2. ℣ 21. Si quis se emundauit ab istis, erit vas in honorem.

Quare & nos imitemur hoc Ioannis consilium, dum tempus est, & dum inueniri potest Deus, & confiteamur illi peccata nostra. Nam profectò, si & nos negamus, nos grauiter peccasse, ipsum et legem eius mendacem faciemus. Misericors & bonus est dominus, quis scit si & nunc illum pœniteat mali, quod cogitat de nobis, fortè & nostri miserebitur, si illum ex toto corde, & citò quæsierimus. Nam certè voluntatem ipsius, nec intelleximus, nec facere studuimus, nec etiam id fieri posse credidimus. Nisi fecerimus, audiemus illam horribilem vocem, imò experiemur potius, partem ad gladium, partem ad ignē, partem in ventos, Ier. 15. ℣ 2. & 49. ℣ 32. 36. &c.

Finis.

THESES DE IVSTIFICATIONE HOMINIS coram Deo exhibitæ Senioribus Thordæ 19. Septembris Anno 1572.

Ex temporum cõfusione hæc quo que doctrina valdè obscurata est, ideo quid scriptura de hac re affir met videndum est.

I. Iustificare est iustum aliquem & innocentem pronuntiare: siue verè iustus sit, sicut Abraham iustificatus est ex operibus, cùm offerret filium. Iacob. 2. ℣ 21. Et factores legis iustificabuntur. Rom. 2. ℣ 13. Et, qui fecerit ea homo, viuet in eis, Leuit. 18. ℣ 5. Gal. 3. ℣ 12. Siue non sit, vt Deus iustificat impium Pro. 17. Ro ma. 3. Et ex fide iustificat gentes. Gal. 3. ℣ 8. eo loco habet, quo eos, qui nũquam peccarunt.

II. Eodem modo de imputatione iustitiæ scriptura loquitur. Qui operatur iustitiam, ei opus ad iustitiã imputatur, vt Phineæ

vt Phineę imputatur ad iustitiam, quòd, zelo concitatus, adulterum confodit. Psal. 105. ℣ 31. Qui verò non operatus est & credit Deo, seu promittenti, seu iubenti, seu minitanti quippiam, ei fides loco operis imputatur ad iustitiam. Sic Abrahæ olim, sic gentibus Christi tempore fides imputata est. Gene. 15. ℣ 6. Rom. 4. ℣ 3.

III. Hinc nascitur duplex iustitia, altera fidei, altera operum. Nam iustificationes cultus, quæ erant in expiandis pollutionibus hic scientes omittimus, & de ea, quę cõscientias emũdabat loquimur.

IIII. Iustitia fidei aut facit ciues populi Dei eos, qui antea erant alienigenæ, vt Abrahamum olim, & gentes Christi tempore, quæ vniuersalis imputatio seu generalis dici posset, & complectitur totas familias cum posteritate, aut conseruat in ciuitate eos, qui per scelera mortem meruerant, vt Dauidem post adulterium, Iudæos Christi tempore, quæ personalis aut particularis dici posset imputatio, vt interim perspicuitatis causa sic loquamur.

49/b

V. Iustitia verò operum concilint premia iis, qui iustificati iam semel, per gratiam in patientia boni operis quærunt gloriam, honorem & integritatem Rom. 2.

VI. Illud Paulus vocat inseri in oleam, aut in ea erigi post lapsum, hoc vocat stare & fructum ferre.

VII. Iustitia fidei tempore antecedit, nec potest simul aliquis iustificari fide & operibus, vbi enim opera sunt, ibi nulla opus est gratia, quę offerat remissionem peccatorum, quæ fide accipiatur, sed amissa operum iustitia, hæc apprehenda est, cum offertur.

VIII. Non autem est quotidiana, aut omnium temporum hæc gratiæ annunciatio, quæ peccata remittat. Sed pro beneplacito misericordiæ diuinæ offertur interdum, ac nisi tempore acceptationis & in hora salutis recipiatur, deinde frustra quęritur. Ita enim Christus ait Luc. 19. ℣ 44. Quia non cognouisti tempus visitationis tuæ. Nunc ecce lapis super lapidem non relinquetur.

IX. Huc pertinent quæ Paulus vbiq; inculcat.

inculcat. Nunc in hoc tempore nouissimis diebus. Nunc est tempus acceptationis, nunc hora salutis. Et Christus, ambulate dum lucem habetis, ne vos tenebræ opprimant.

X. Et quanquam exempla extent misericordiæ Dei in populo Israelitico, in Dauide, Ezechia, reliquiis Babylonicis, in Petro & aliis, tamen nusquam extat promissio, quæ polliceatur secuturis semper temporibus remissionem, si prima fidei iustitia, per alterā, quæ operum est, non stabiliatur, & vocatio bonis operibus non confirmetur. Nec vsquam legimus Deum sic loqui. Nunc remitto tibi homicidium, si cras alteram cædem feceris, remittam quoq;, sed denunciatur horribile iudicium, idq; ideo ne securē cum Deo ludamus, Heb. 6. 10. 2. Petr. 2. Mar. 12.

XI. Nec tamen hoc de omnibus lapsibus intelligēdum est, sed de peccatis contra cōscientiam, quę scriptura vocat peccata ad mortem, quibus pœna mortis erat proposita, vt sunt adulteria, cædes, idololatria & alia, quæ Paulus commemorat

morat Rom. 1. ℣ 29. 30. 31. Gal. 5. ℣ 19. 20. 21.

XII. Sicut enim sub lege pro ignorantiis erant sacrificia, quæ expiabant eiusmodi lapsus & pollutiones, pro capitalibus autem & pro peccatis ad mortem, nullum erat institutum sacrificium, vt fatetur Dauid, vtiq; sacrificium dedissem, sed holocausto non delectaberis, ita & in noui testamenti populo eiusmodi lapsus, quales quotidie multi accidunt, Deus non imputat ad mortem, & Christus iussit quotidie orare suos, remitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribns nostris, Math. 6. ℣ 12. Luc. 11 ℣ 4. Et frater fratri iubetur remittere septuagies septies, Math. 18. ℣ 22.

XIII. Peccata verò ad mortem, non nisi oblato gratiæ tempore deprecari possumus, vt Dauid admonitus à Nathan clamat, Miserere mei Deus, Psal. 50. ℣ 1 Et Ioannes durante adhuc gratia tempore dicit. Si quis peccauerit, habemus Aduocatum apud patrem Iesum Christum. Sed hoc, tempore obsidionis non rectè dixisset ad Iudæos, tum enim aliud,

illud

illud prophetæ, locum habebat, clamabunt & non exaudiam, Mich. 3. ℣ 4. Psal. 17. ℣ 45.

XIIII. Quare falluntur meo iudicio, qui ob quæuis delicta nos apud Deũ reos mortis esse docent, quiq; omnia dicta, facta ac cogitata hominũ peccatum esse docent. Nam si hoc detur, boni & mali discrimen sublatum erit, nec different precari & maledicere, eleemosynam dare & furari. Sic quicquid facimus impium est & mereretur mortem.

XV. Hinc manifestum est, vtrunq; in scriptura esse verum, & quòd ex operib. legis nemo iustificetur apud Deum, & quòd ex dictis & factis quisque iustificetur, si modo distinguantur tempora.

XVI. Christi tempore homines erant corruptissimis moribus. Nam Iudæi omnia in hypocrisin conuerterant, vt ipsis Christus exprobrat, Math. 23. Lucæ 16. Et Paulus Rom. 1. 2. 3. mirificè eos depingit, longum facinorum catalogum texens, interim tamen volebant Deo obtrudere sacrificia, quæ nequaquam pro talibus sceleribus erant instituta, vnde

semper repudiat ea Deus, non aliter ac si quis canem mactasset, Isa. 66. ℣ 3. Gentes verò palam erant impuræ, nec sane dissimulanter exercebant omne genus flagitiorum, adeò vt Paulus diserte testetur, omnes tam Iudæos, quàm gentes declinauisse, ne vnum quidem esse, qui bonum faciat, ideo omnes indigere gratia & gloria Dei.

XVII. Tum sane nemo eorum qui sic viuebant ex operibus legis iustificari poterant, nam legem moralem violarãt, & ceremoniæ. (in quibus erant occupatissimi) nullam habebant promissionem remissionis pro tantis facinoribus, ideo frustra omnis suscipiebatur labor.

XVIII. Sed non rectè hoc diceret Paulus de se conuerso, quin contra prædicaret se bonum certamen certasse & retinuisse bonam conscientiam, 2. Tim. 4. ℣ 7. Et apud Corinthios gloriatur de testimonio conscientiæ suæ, 2. Cor. 1. ℣ 12. Et Dauid cum cantat, Retribuet mihi dominus secundum iustitiam meam & secundum puritatem manuum mearum, quia custodiui vias ejus, nec impiè gessi

me

me coram Deo meo, quia iudicia eius in conspectu meo, & iustitias eius non repuli à me. Psal. 21. Eodem illo tempore non rectè diceret, peccatum meum tibi cognitum feci, Psal. 51. Iniquitatem meam dele. Nam sicut illi rẽpori, quo adulter erat factus, planè quadrabat id, Ex operibus legis nemo iustificabitur: Et iustitiæ meæ vniuersæ vt pannus menstruatæ, Isa. 64. ℣ 6. Et opera vestra non proderunt vobis, sunt inutilia, Isa. 57. 59. 60. Et si iniquitates obseruaueris domine quis sustinebit? Psal. 129. ℣ 3. Et peccantem in animam suam, id est, ad mortem, quis iustificabit? Ita huic tempori, quo fugiebat Saulem, nullius sibi facinoris conscius, de quo in Psal. 17. loquitur, prorsus cõueniebat hæc iustitia iusti super eum. Iustitia sua liberabunt animas suas Ezech. 18. 14. Et beati, qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam omni tempore, Psal. 105. ℣ 3. Et beatus vir, qui timet dominum & delectatur mandatis eius. Psal. 111. ℣ 1.

XIX. Rectè igitur accipienda sunt vniuersalia illa, Omnes peccauerunt, non

est qui faciat bonum, ne vnus quidem, Psal. 13. ℣ 4. Omnis caro corruperat viam suam. Gene. 6. ℣ 12. Sicut enim Dauid cum ista dicit non seipsum & alios timentes Deum intelligit (nam de illis ibidem dicit, dominus autem in generatione iusta est, non dicturus, si nemo esset iustus) sed de insipientibus loquitur, qui nec Deum esse credunt. Et Deus dicens. Omnis caro corruperat viam Gene. 6. ℣ 12. nihilominus sua voce excipit Noah iustum. Te, inquit, solum reperi iustum. Gene. 7. ℣ 1. Ita Paulus non ad singulos homines trahit illa vniuersalia, sed ad eos, qui tales erant, non tantùm inter gentes, verùm etiam inter Iudæos, quòd minimè concedebant zelotæ isti, qui ob circumcisionem & prærogatiuam generis elati, gentes solas contendebant peccatores esse. Inde sunt voces illæ, omnes, omnia, omnis caro, vt omnes nationes & populos includat, non singulos homines. Nam certè Zacharias & Elizabetha habent illustre testimonium iustitiæ suæ. Erant inquit Lucas ambo iusti coram Deo, incedentes in omnibus iustificationibus &

bus & mandatis domini irreprehensibiles. Ad hos certè maledictio, quæ ex trãsgressione est, pertinere non potest.

XX. Nam duplex legis conditio proponitur, vita & mors, illa seruantibus, hæc transgredientibus Deut. 28. 36. Leuit. 26. Nec vllo alio tempore de lege verè prædicatur, quòd non possit viuificare, nisi quando infirmatur per carnem Rom. 8. 2. Cor. 3. Nam tunc demum fit litera occidens & ministerium mortis, nec potest mutare illam vocem: Maledictus qui non manserit in omnibus.

XXI. Ostendit autem scriptura nõ semel exempla eorum, qui præstiterunt ex toto corde, quicquid Deus præcepit, nec declinauerunt ad dextram vel ad sinistram, sicut Christus post Mosen requirit Math. 22. De Dauide dicit dominus. 1. Reg. 11. Custodiuit mandata & præcepta mea. Et qui custodiuit mandata mea, & secutus est me in toto corde suo, faciens, quod placitum esset in conspectu meo 1. Reg. 14. & 15. Non declinauit ab omnibus quæ præcepi ei, excepto sermone Vriæ Hetæi. Sic corregis

Asæ perfectum dicitur coram domino 1. Reg. 15. De Ezechia quoque: adhæsit domino & non recessit à vestigiis eius, fecitq; mandata quæ præceperat dominus Mosi, 2. Reg. 18. Et ipse Ezech. 20. cap. ait Memento domine, quomodo ambulauerim coram te corde perfecto, & in veritate, & quod placitum est coram te fecerim. Et de Iosia: non declinauit nec ad dextram nec ad sinistram, 2. Reg. 22. Et reuersus ad dominum in omni corde suo & in tota anima sua & in vniuersa virtute sua, iuxta omnem legem Mosis 2. Reg. 23.

XXII. Hîc iam obseruandæ sunt locutiones illæ, quæ homines cum Deo cõparatos negãt, vllo modo iustificari posse, vt Iob. 4. 9. 25. Verè scio, quòd ita sit, quòd non iustificetur homo comparatus Deo. Et Dauid: ne intres in iudicium cũ seruo tuo, quia in conspectu tuo, non iustificabitur omnis homo Psal. 142. Psal. 19. Ab occultis meis mũda me &c. Nam hi omnes, & si qui sunt similes loci, de ignorantiis loquuntur, quæ imprudenter accidunt sæpè, vt præueniatur a

liquis

liquis à peccato, quæ si Deus vlcisci vellit, verè nemo viueret. Non itaque ad Dei perfectionem, sed ad legis normam, iustitiæ humanæ ratio exigenda est, cum qua si conuenit, iustitia dicitur, etsi infinitis modis infra Dei perfectionem subsideat.

XXIII. Nec quicquam obstat sententiæ huic, quod Christus dicit Luc. 17. v. 10. Cum omnia feceritis, dicite vos esse seruos inutiles. Non enim prohibet discipulis vt fateantur se habere iustitiam operum, si gnauiter euangelizent, neue mercedem expectent (sicut nec seruus ad hoc cogitur vt neget, se fideliter seruiuisse aut deberi sibi mercedem) sed hoc tantùm docet, eos per gratiã Dei receptos in familiam ipsius, seruos eius factos esse, ideoq; debere æquissimo animo, sponte & alacriter laborare & tollerare omnia, nec tamen habere quod Deo exprobrent, sicuti faciebant Pharisæi. Nam etsi omnia facerent diligentissime, tamẽ eos Dei benignitatẽ erga se nullo modo posse æquare, & nihil aliud esse, quàm seruos, qui quod debent præstent, inutilis seruus

lis seruus non opponitur hic seruanti legem (nam si ita esset, quomodo dicerent se omnia feciſſe quæ debuerunt) sed ei, qui prçter debitum, multa præstare possit: conuenit Pauli sententia. Si euangelizauero, non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit.

XXIIII. Considerandum prætereà & hoc est, vniuersalis illius iustitiæ fidei duplex in scripturis obiectum esse. Prioris quidem. Sic erit semen tuum Gen. 15. Posterioris verò, credere Iesum esse christum Ioan. 17. ℣ 3. Ita enim confert Paulus Rom. 4. Hęc non ita proposita sunt, vt à singulis posterorum credi quoque necesse esset, si vitam vellent habere. Sed vtrinque apud posteros legebantur, & narrabantur, vt historiæ quæ patrum temporibus accidissent, quæ res alibi à nobis demõstrata est, & similitudine declarari potest.

XXV. Quia ea cõditione hęres scribitur, vt legationem aliquam suscipiat, qua confecta, possessionem bonorũ adeat ab illius liberis, si possessionem tandem adire velint, non exigitur hoc, vt eandem

andem legationem suscipiant, per quam pater hæreditatem consecutus erat; sed fruuntur bonis paterno labore & industria partis. Ita & Abrahæ propositum est, quòd crederet, si vellet hæres mundi fieri, & gentibus, si vellent ex non populo fieri populus, eam hæreditatem fide consecuti, relinquunt filiis vsurpandam, si non ob degeneres mores possessione deturbentur.

XXVI. Non igitur nisi vnius temporis hominib. contulit impurationem iustitiæ fides hæc, quòd Iesus sit Christus, nisi quòd in lumbis patrum, posteritas tota simul sanctificata, & in populum recepta est, habitura mercedem & premium, si probitatem & pietatem patrum secuta fuerit, peritura omnino, nihil amplius conferente imputata priore iustitia, si bonis operibus destituetur, nisi si Deus denuò misertus annunciet remissionem peccatorum, de qua nulla, vt dixi, extat promissio.

XXVII. Itaque patefacto tempore gratiæ, rectè dicitur: in quacunque die impius conuersus fuerit, non meminero

iniquitatis

5576

iniquitatis eius amplius. Sed illo elapso & neglecto, illud locum habet: Excæca cor populi huius, ne videntes videant & conuertantur & ego sanem eos Isa. 6. ℣ 10.

XXVIII. Quare ex verbis illis Ioan. 17. ℣ 20. Non pro illis tantùm rogo, verùm etiam pro iis, qui credituri sunt per sermonem illorum, falsò colligitur perpetua imputationis prædicatio. Christus enim sui ministerii tempus confert cum Apostolorum futura prædicatione post resurrectionem. Ille tres annos docuerat & à paucis receptus fuerat, quos fecerat discipulos, itaque pro illis orat. Sed quia reliquiæ Iudæorum adhuc restabant, quas Petrus & alii conuerterunt, & aliæ adhuc erant oues, adducendæ quoque ad ouile Dei, per prædicationem Apostolorum, post ascensionem ipsius, ideo & pro illis se orare profitetur, manifestum autem est, multos annos prædicationem illorum durasse, inter Iudæos quidem ad annos 40. inter gentes alibi diutius, alibi breuius, prout eas citò aut serò vltio irati Dei inuasit, ad quam euitandam

tandam prædicatio ea erat instituta. Itaque cum possent multa millia eorum dari, qui Christum per Apostolorum prædicationem receperunt, nihil in istis verbis est, quod necessario probet, perpetuo durare oportere imputationis prædicationem.

XXIX. Epistola quoque ad Heb. ca. 7. ℣ 17. 21. 14. in speciem videtur aduersari, tribuens Christo æternum sacerdotium, ita enim loquitur. Alii plures erãt sacerdotes, quia morte prohibebantur manere. Hic autem eo quòd maneat in æternum, sempiternum habet sacerdotium, vnde & saluare potest in perpetuum accedentes, per semetipsum (non per sanguinem hircorum) ad Deum, semper viuens, ad interpellandũ pro nobis. Et cap. 9. Ingressus est in ipsum cœlum, vt appareat nunc conspectui Dei pro nobis. Et hic vnam pro peccatis offerens hostiam, in sempiternum sedet ad dexteram Dei &c. Sed nulla est difficultas, si modo obseruemus duo.

Primò disputari hîc, quid illis præstiterit Christus, qui in eum tum crediderunt

derunt, non quid post mille annos præstiturus esset. Secundò, In qua re sit collatio sacerdotiorum posita. Sic enim opponit.

Lex nihil ad perfectum adduxit & sanguis hircorum & vitulorum non potuit tollere peccata. Et sacerdotes Leuitici quotidie offerentes, non tollebant conscientiam peccati. Et prius testamentum non caruit vitio.

Contra Christus vna oblatione consummauit sanctos in perpetuum, inuenit æternam redemptionem. Mundauit homines secundum conscientiam, Nouum testamentum in melioribus promissionibus situm est.

Quomodo tandem? Lex sacrificabat pro ignorantiis, pro pollutionibus, & non pro peccatis ad mortem, nã pro illis nulla erat instituta victima. Itaque legem seruare oportebat eos, qui conscientiam bonam seruare volebant. Si neglexissent, iam nullum erat remedium in lege. Hac ratione prius testamentum infirmum factum est, cum aliud non posset iam, quam clamare, morte morieris. Nã quamuis

quamuis quotidie offerrent Leuitæ pro ignorantiis, manebat tamen perpetuò cõscientia sceleris apud eos, qui deliquissent & mortis, quam meruerant, perpetua tenebantur formidine. Ideo etiam sacrificia illa vocantur τύποι ἀντίτυπα vmbræ & exempla cælestium bonorum. Cùm igitur Christi mors non tãtùm pollutiones carnis, sed etiã peccata ad mortem tolleret, & remissionem omnium conferret, ideo Nouum testamentum dictum est melius, quodq; meliores promissiones habeat. Hæc prima est collatio, hinc dependet alia.

Leuitica redemptio erat temporaria, ideo repetebatur sæpè. Christi autem redemptio est æterna. Quomodo hoc? Nõ ideo quòd perpetua successione prædicari debeat posteritati imputatio iustitiæ per fidem Christi, quæ illos ex non populo faciat populum (quid enim illa opus iis, qui nascuntur Christiani) & hoc modo Leuitica redemptio quoque æterna est, quæ non vna tantùm ætate, sed continuata serie plurimorum seculorum durauit, ad posteros semper transmissa. Sed

quòd illis, qui recipiebant Christum, æternam conferrent salutem, cum Leuitica redemtio breuis saltem temporis puritatem conciliaret. Sic enim ipse autor interpretatur cap. 5. Factus est obtemperando sibi causa æternæ salutis, & factus est secundum virtutem vitæ insolubilis cap. 7. Et vt promissionem æternæ hæreditatis accipiant, qui vocati sunt. cap. 9. Et introiuit semel in sanctuarium, inuenta çterna redemptione: Ibidem. Sic vt æternitas ad constantiam & immutabilitatem salutis eorum, qui credidissent referatur, non ad successionē prædicandæ imputationis. Sicut alibi dicitur dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα. Itē. Nemo rapiet eos ex manu mea. Itaq; sensus horum est, illic Leuitæ moriebantur & accipiebant successores, Christus nullum habuit sui sacerdotii successorem, qa non mansit in morte, habiturus & ipse, si mansisset. Quia autem suscitatus est, & conscendit cœlos, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis, quos consummauit in sempiternum, quos saluauit in perpetuum, cùm Leuitæ ad tempus saltem purificent.

ficent. Ideo æternus sacerdos dicitur, sicuti & Salomon rex æternus dicitur, nō quòd regnarit perpetuò, sed quòd durabile habuerit regnum, ac à nemine fuerit throno deiectus, dum viueret Psal. 44. Quotquot igitur Christo crediderunt & imputationem illam amplexi sunt, ii non habuerunt alio sacerdotio aut sacrificio opus, sed cōsecuti sunt per eum hoc vt per omnem vitam à peccatorum illorum præteritorum, ob quæ timori mortis erant obnoxii, conscientia liberarentur. Intercessit pro illis perpetuò, non fuit mutabilis, aut incerta illa prædicatio gratiæ, vt alio mediatore indigerent. Ideo etiam Christus dicitur heri & hodie & in secula idem esse, non varius & inconstans, aut mendax, sicut variæ illæ doctrinæ hominum. Illis igitur, quibus datus est, perpetuus fuit sacerdos & intercessor, vt ita accepta remissione ad promissam benedictionem perpetuā & stabilem peruenirent. Et illud: Semper viuens vt intercedat pro nobis, explicatur per alterum, vt nunc appareat vultui Dei pro nobis, estq; similitudo à Pontifice sumta,

ce sumta, is enim dum offerret intercedebat pro populo, sine effusione sanguinis & oblatione, vix vlla fiebat remissio. Itaque coniuncta sunt sacrificare & intercedere. Cùm igitur dicitur hic cum semper pro illis interpellare, perinde est acsi dicat, semper offert & stat coram facie Dei. Non quòd quotidie moreretur, sed quòd vna illa oblatione certam & stabilem suis procurauerit salutem.

RESPONSIO SENIORVM EXHIBITA CLAVdiopoli 29. Septembris. Anno 1572.

I. Duplicem esse significationem vocabuli, non negámus, at alio sensu ac ratione, vt enim alia est iustitia legis seu factorum, ita aliam esse iustitiam fidei docemus, aliam coram hominib. aliam coram Deo, has iustitias ac iustificationes confundere, & vtrunq; referre ad iustificationem coram Deo, non sine contumelia Dei, in quo contrariæ voluntates hac ratione

ratione ponuntur. & Christi eius, nec sine detorsione scripturæ sacræ fieri affirmamus. Manifestè enim Rom. 4. ℣ 2. dicitur: Si enim Abraham ex operibus legis iustificatus est, haber gloriam, at non apud Deum.

II. Ex verbo Dei scripturarum dissidentium conciliationem instituendam esse iudicamus, non ex nostro cerebro. Ex operibus legis non est iustitia apud Deum, ex operibus legis est iustitia apud homines, non apud Deum, vide Phil. cap 3. ℣ 6. 8. Rom. 10. Rom. 3. Gal. 3.

III. Consentaneam expositionem verbo Dei non esse iudicamus: Nemo ex operibus legis iustificatur, hoc est eorum qui non fecerunt legem. Iustificatos autem esse apud Deum, qui fecerunt legem, cùm manifestè Paulus iustitiam, quæ ex lege est, opponat iustitiæ, quę ex fide est, & neget vtramq; coram Deo iustificare, vide Rom. 8. 10. Gal. 3. vbi sine exceptione docet, legem docendo nihil prodesse, quia nemo est qui impleat Rom. 8. & 3. 6. & 7.

IIII. Extra scripturam & eos loqui affirmamus.

firmamus, qui vel traditiones patrum, vel opera legis ceremonialia tantùm excludi affirmant, cum manifestè dicatur: Qui fecerit hæc homo, viuet in eis. Et Maledictus omnis, qui non impleuerit omnia, quę scripta sunt in libro legis. Nemo enim sanus affirmabit, promissam esse vitam ceremoniarum cultoribus, aut denuciatam maledictionem solis earum transgressoribus.

V. Si iustitia operum conciliat premia iis, qui iustificati sunt semel per gratiam, demonstra, quomodo per opera iustificari possint homines. Etsi hoc verum est, quòd non simul fide & operibus iustificantur homines. At cum bona opera sint fructus & testimonia fidei, premia operibus promitti cõcedimus, at illa causam salutis & vitæ æternæ esse negamus.

VI. Annunciationem gratiæ & remissionis peccatorum omnium esse temporum affirmamus, iussit enim Christus vsque ad aduentum suum, in nomine suo pœnitentiam & remissionem peccatorum annunciare, ac omnibus in eum credentibus vitam æternam offerre, cum aliud

liud nomen non sit datum, in quo oporteat nos saluos fieri. Aut igitur aliud nomen postea datum esse demõstretur, aut aliud annunciationis mandatum exhibitum esse, aut Euangelii doctrina vt vsq; in finem mundi persistat oportet, ea enim est annũciatio gratiæ & remissionis peccatorum.

VII. Detorsiones locorum manifestæ sunt, Lucæ enim 13. Math. 23. non de negata salute ac vita æterna loquitur, sed de pœnis temporalibus, & testimonia illa Rom. 13. 2. Cor. 6. & Ioan. 12. intelliguntur de gloria Messiæ & tempore exhibitionis illius, non de perpetua annunciatione remissionis peccatorum & gratiæ Dei.

VIII. Si annunciatio gratiæ & remissionis peccatorum non est omnium temporum, malè Paulus ad Eph. 2. Gal. 2. 3. Phil. 3. 1. Tim. 1. Tit. 3. doctrinam eam iam antea conuersis proponit, nec remissio peccatorum esset continua, nec fides in Christum, nec firmum salutis fundamentum.

IX. Scimus peccata iusto Dei iudicio puniri, & peccandum non esse. At, quia

peccantib. non semel, sed aliquoties, Deus ignouit, docemus electos perire non posse, & prorsus gratia Dei excidere, etiamsi peccent, & habemus præceptum, vt credamus remissionem peccatorum non solùm præcedentium, sed & futurorum.

X. Miscere pœnas temporales æternis, & ex temporalibus concludere de æternis, alienum est à verbo Dei. Nam Dauid propter peccata punitur pœnis temporalibus, sublatis pœnis æternis.

XI. Non solùm pro peccatis ignorantiæ, sed & pro peccato vltroneo erat sacrificium, vt ex Leuit. 6. & 7. cap. apparet, concilianda ergo est scriptura, & explicandus locus Num. 15.

XII. Omne peccatum pugnans cum lege mente & voluntate Dei, iusto Dei iudicio dignum est morte, verùm beato est cui remittitur & non imputatur. Miser & infelix cui non remittitur & imputatur. Nec hac ratione discrimen boni ac mali tollitur, cum aliud sit peccatum, aliud & iustitia.

XIII. Iustificatio ex fide & operibus, non ex ratione temporum sumitur. Nam

Nam id verbum Dei nullibi docet, sed ex forma & modo, vt illa sit coram Deo, hæc apud homines, hanc distinctionem Paulus Rom. 4. annotauit. Quia toties tuæ assertionis scopus est, nisi cum manifestè ex verbo Dei, & quidem literaliter demonstraueris, te funem ex arena nectere, & sine causa Ecclesiam domini turbare affirmamus.

XIIII. Non solùm Christi tempore, sed omnibus temporibus, & de omnibꝰ indiuiduis verū est. Sensus carnis mors, ac prudentia carnis est inimica Deo, legi enim Dei non est subiecta, neq; enim potest: non est homo iustus in terra, qui faciat bonum & qui non peccet Eccles. 7.

XV. Pauli disputatio ex operibus legis nemo iustificabitur, non tantùm respicit ad illa tempora, sed est perpetua Dei vox, & omnibus temporibus valet, non enim ex operibus legis, sed gratis per fidem in Christum vult conferre & dare salutē. quòd verò quædam dicta de iustitia sanctorum ac perfectione operū illorum adferuntur, non nisi ad iustificationem, quæ coram hominibus habetur, referri debet. Tribuere verò iustificationem

cationem operibus, quanta sit Christi & mortis eius prophanatio & euersio certitudinis salutis nostræ, ex disputationib. Pauli manifestum est.

XVI. Non solùm apertè impii & flagitiosi fatentur peccata sua, verùmetiam iusti, omnes enim orantes dicunt, & dimitte nobis debita nostra, & innocens coram eo non est innocens, & non est, qui faciat bonum, non est vsq; ad vnum, qui non peccet.

XVII. Omnis, omnia de subiecta materia esse intelligenda scimus, & peccatum de omnibus hominibus prædicari, excepto Christo, qui negat, non solùm manifestè verbo Dei cõtradicit, sed & cum ratione insanit, & verum est de eodem homine, quòd peccet & non peccet, quòd iustus sit & non iustus sit. Si dicimus, quòd peccatum non habemus, seducimus nosipsos, & omnis, qui ex Deo est, non peccat. Rom. 7.

XVIII. Quod lex & opera legis iustitiam coram Deo conferant & sint causa salutis, nullibi scriptura docet, imò contrarium opponit, Gal. 3. enim dicitur, quoniam autem in lege nemo iustificatur

catur apud Deum, manifestè est, quia iustus ex fide viuit, quòd autem exempla eorum obiiciuntur, qui perfectè ambulauerunt cõram Deo, perfectionis vocabulum alio atque alio modo accipi in scriptura sacra notum est. Et cum has Papistarum obiectiones Caluinus & alii dextrè soluerint, actum non agemus. Interim autem tibi meditandum relinquimus, longè aliud esse, perfectè ambulauerunt, legem seruauerunt, atque ex operibus legis iustificati sunt apud Deum, cũ manifestè doceat Paulus, legem non ideo datam esse vt ea iustificemur.

XIX. Non solùm homo comparatus cum Deo non iustificatur ex operibus (sic enim nemo hominum iustificaretur) sed etiam quo ad ipsum & eius naturam, quæ planè est corrupta, & cuius bona opera non possunt sisti Dei iudicio, ideo Dei verbum, misericordiam Dei patris, semper nostris opponit operibus, dum gratuitam tradat iustificationem. Non ex operibus, inquit, quæ fecimus nos, sed ex sua misericordia, ideo fide gratis, vt sit firma promissio.

XX. Multa quidem dicuntur, quo

genuinus

genuinus sensus testimonii Luc. 17. obscuretur, at cæci non sumus, vt non videamus sensum dicti esse: studium & opera nostra non esse tanti facienda, vt iudicio Dei opponantur, & illorum mercedem exposcamus, cum non sint talia & tanta, vt propter illa iusti reputemur coram Deo.

XXI. Credere in dominũ Iesum, tantùm esse temporis illius, extra consensum verbi diuini dicitur. Nemo enim aliud fundamentum ponere potest, quàm quod est positum, & sub cœlo aliud nomen non est datum. Si enim hoc verum esset, neque Christi dictum consisteret, super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, & portæ inferorum non præualebunt aduersus eam. Neque illa dicta, qui crediderit, in futurum consistere possent. Neque Christum nostrum pontificem, mediatorem & aduocatum esse, rectè diceretur, hoc autem affirmare nihil aliud est, quàm Christum ipsum & fidem in illum negare, imò salutem & vitã æternam p sanguinem illius partam sepelire, hominesq; à vero ad mendacia trahere.

XXII. Dictum Ioan. 17. detorquere

ad eos, qui tempore prædicationis Apostolorum vixerũt, summa est insania, cõsequeretur enim post illa tempora, nullos fuisse credentes, & oracionem Christi ad nos, qui hoc tempore viuimus nihil pertinere, quomodo ergo constabit veritas scripturæ, vt nunc quoque interpellet pro nobis, nunc quoque astet vultui Dei. Sedet ad dextram Dei vt interpellet pro nobis, nisi fortè neque ascenderit in cœlum, neq; sedeat ad dextram Dei. Consequeretur præterea, sermonem Apostolorum hoc tempore non sonare in ecclesia, & nullos colligi electos.

XXIII. Inuitis omnibus fatendum est, authorem epistolæ probare Christum omnibus angelis, prophetis & sacerdotib. veteris testamenti prestantiorem esse, & non temporaria, & caduca bona, effusione sanguinis, & morte sua acquisiuisse electis, sed æterna. Quæ non tantùm propter electos, æterna dicuntur, sed etiam propter ipsius sacrificii vim & efficaciam. Nam manifestè de ipso dicitur. Tu es sacerdos in æternum. Non igitur negamus, fieri collationem inter illa sacrificia, Leuiticos sacerdotes & Christum, at

63/b

dicimus, illud non per omnia mentem autoris explicare: duo enim tractari videmus videlicet, quid Christus præstiterit. Et an illa sint temporaria, an verò æterna. Si continua successione imputationem non annunciarunt, nec sancti vnica oblatione consummati sunt. Neq; hoc tempore vllus erit sanctus & electus, neque Christus ipse erit in secula. Cùm inter caput & membra oporteat esse similitudinem aliquam. At tales fallacias tibi, tuiq; similibus relinquimus.

CONFVTATIO RESPONSIONIS PRAECEDENTIS 5. Octobris, per Ioannem Sommerum.

I. Cum duplex sit quæstio, quæ in disceptatione nunc versatur, ad ea, quæ iustificationi operum opponuntur, primùm respondebo. Nam ea præcipuè in proximis thesibus tractatur. Altera quæ est de fide in Christum, de qua in declamatione differui, quia video ex responsione vestra, vos aut non intelligere, aut dissimulare

dissimulare, peculiari scripto fusius deinde explicabo. Ideo ad Thesin 6. 21. 22. 23. nunc non respondeo, ne confusio obscuritatem pariat.

Primò, Iustitiam factorum vultis coram hominibus tantùm valere, non coram Deo, hoc falsum esse demonstro sic. Quia de Noha lego sic. Nohah erat vir iustus, & perfectus fuit in generatione sua, & ambulauit cum Deo. Huic Deus ipse fert testimonium. Te solum vidi iustum coram me (non coram hominibus tantùm) & Ezechias dicit. Memento domine, quomodo coram te ambulauerim corde perfecto (non coram hominibus tantùm) & Dauid, custodiui vias Iehouæ & non impiè egi coram eo. Et Paulus: habeo gloriationem in iis, quæ ad Deum pertinent (τα πρὸς θεόν) & verus Iudaismus, qui in occulto est, habet laudem apud Deum. Et. 1. Cor. 4. Erit vnicuique laus à Deo, loquitur de fide præstita in ministerio. Hic cum legam coram Deo, apud Deum, non possum vestræ glossæ subscribere, quæ dicit, non coram Deo, sed coram hominibus tantùm.

Secundò

Secundò, Deinde cum sancti postulent, se iudicari secundũ iustitiam suam, non ne sibi ipsis imprecarentur mortem & execrationem, si ea non valet coram Deo, sed tantùm corã hominibus? Quod enim apud homines tantùm iustum est, hoc necesse est apud Deum esse abominationem. Nam hæc duo opponuntur inuicem. Magna igitur eorum esset insania secundum abominationem velle iudicari à Deo, siue de pœnis corporalibus, siue æternis intelligatis.

Tertiò, Illud verò parum ex arte colligitur, contradictorias in Deo voluntates statui, si peccatorem gratis iustificet per fidem, & eundem alio tempore cum iam sanctè & innocenter viuit, ex dictis & factis iustificet. Nam contradictoria, eiusdem temporis respectu opponũtur, nisi fortè contradictio est in his. Dauid fugit Saulem: & Dauid regnat super Israelem.

Quartò, Lõcus Rom. 4. Quod Abraham si ex operib. iustificatus sit, gloriam habeat, sed non apud Deum, mihi non aduersatur. Nihil enim cõ loci, vnde testimonium desumitur hoc, scriptura de

ra de operibus Abrahæ dicit, sed fidem commendat, quæ illi imputata est ad iustitiam. Et Paulus suscepta disputatione de iustitia fidei, exemplum quçrit, q̃d similitudini respondeat, ideoq; etiamsi disertè commendatio factorum eius prçcessisset in aliis capitibus, sicut epistola ad Hebræos laudat obedientiam eius, quòd Deum vocantem secutus sit, quam fidei tribuit, tamen ea omissa, hoc exemplum citandum fuit, quòd de fide loquitur. Sicut Iacobus volens probare iustitiam operum, omittit hoc de fide, namde ea non instituerat sermonem. Et arripit illud de oblatione filii, vt ita vtranq; iustitiam copulet, adducto tandem & hoc testimonio. Quanquam & illud factum, scriptura fidei tribuat, quia sine ea impossibile est placere Deo. Quia igitur in cap. 15. Gen. Nullum bonum opus Abrahæ legitur: ideo Paulus colligit, eum nullam inde habere gloriationem, ob id saltem, quòd nihil de eo scriptum est, vtitur enim silentio scriptura pro certa negatione. Sicuti Heb. 7. de parentibus Melchisedech facit, quod si aliquid fecit Abraham,

braham, id coram hominibus iactare potuit, non coram Deo. Nam si ob factum Deus hic illi benedixisset, legeremus id quoq; At deinde cum offert filium, tum habet gloriationem etiam apud Deum. Audit enim, quia fecisti rem tãtam hanc, ideo benedicens benedicam tibi Gene. 22. Et benedicentur in te omnes gentes, eò quòd obedieris voci meæ, quod testimonium Iacobus non negligit.

II. Ex verbo Dei conciliandos esse locos in speciem contrarios libenter concedo, sed nego eam conciliationem veram esse, quæ iustitiam bonis operibus adimit coram Deo, & tribuit illis coram hominibus.

1. Quòd loci à me oppositi in prima thesi contradicunt. 2. Quòd loci à vobis citati, alieno sensu adducuntur, hoc vobis planum faciam. Nam locus Phil. 3. Vbi Paulus dicit se abiecisse iustitiam legis, vt eam, quæ ex fide est, consequeretur, non loquitur de veris operib. legis diuinæ, quæ etiam præstant & præstare debent regeniti, quia habent promissionem, hæc fac & viues. Sed loquitur de Pharisaismo

Pharisaismo de fermento Scribarum, vt Christus appellat, de traditionibus patrum, quæ omnia plena erant hypocrisi, & corrumpebant etiam ea, quæ externè erant honesta: Hoc sic probo.

1. Gloriatio secundum carnem non est vera obedientia legis diuinæ, quæ dicitur fructus spiritus non carnis. Gal. 5.

Paulus gloriatur secundum carnem, quemadmodum & Pseudoapostoli, quia dicit si quis alius, ego quoque habeo gloriationem in carne. Phil. 3. circumcisus octauo die, secundum legem Pharisæus. Ergo non gloriatur de vera obedientia legis, quia vocat se Pharisæum secũdum legem, sed lex Dei non instituit Pharisæos. Ergo non intelligit legem Dei, sed Pharisaismum.

2. Persequi prophetas Dei non est vera iustitia legis. Paulus fuit persecutor secundum zelum. Ergo non habuit veram iustitiam legis diuinæ.

3. Paulo ipsi de verborum suorum sensu credendum est, sed ipse interpretatur de Pharisaismo, nam Gal. 1. gloriatur, se profeciss in Iudaismo supra æquales, &

66/b

fuisse æmulatorem paternarum traditionum. Et Act. 26. dicit se iuxta certissimam sectam cultus Iudaici fuisse Pharisæum. Et Act. 22. Eruditus sum secundum certissimam sectam, legis paternæ æmulator, sicut & vos estis hodie. Quales autem illi fuerint, ostendit Lucas, cũ clamant Tolle, tolle talem de terra, non enim fas est eum viuere. Igitur de Pharisaismo accipiendus est hic locus.

4. Locus verò Rom. 10. seipsum explicat, cùm dicit Paulus. Ignorantes iustitiam Dei, & suam volentes stabilire, iustitiæ illius non sunt subiecti, quia opponit inuicem iustitiam Dei, quæ reuelabatur de cœlo super omnes transgressores cui illi volebant subiici, iustificantes seipsos, & iustitiam illorum, de qua & Christus dicit, oportere discipulorũ suorum meliorem esse iustitiam, quàm Scribarũ & Pharisæorum. Ideo dicit suam, non legis iustitiam, quærunt stabilire. Et cap. 9 causam reddit, cur non ad iustitiam Dei quæ remissionem peccatorum offerebat peruenerint, quia quasi ex operibus. Sensus est, iustificabant seipsos, quasi fecissent,

sent, quæ Deus præcipit. Nolebant subiici iustitiæ Dei, non agnoscebant se peccasse, dicebant se videre cum essent cæci, ideo peccatum ipsorum manebat. Quare nihil ad veram legis iustitiam euertendam locus hic facit, cum Pharisæorum iustitiam commemoret hic Paulus.

Sic Rom. 3. rectè concludit Paulus homines iustificari fide sine operibus legis, quia ademerat illis prius legis opera, cõ uicerat omnes peccati. Quàm igitur potuerunt iustitiam per opera legis adferre, si nulla habebant, & egebant omnes gloria Dei? Meritò igitur ad fidem allegantur, & excluditur Pharisaica gloriatio.

Sic Gal. 3. vbi dicit: Si ex lege hæreditas, iam non ex promissione, seipsum explicat, subiiciens causam, cur ex lege nõ sit hæreditas, cur non possit viuificare eos, qui in peccatis mortui sunt, quia scriptura omnes damnet transgressionis, aut omnia sub peccato includat, ideo ad promissionem oportere confugere credentes. Itaque de Pharisaica iustitia concedo, eam coram Deo non valere in ocu

lis hominum esse aliquid. Non autem de iustitia vera legis, de qua hi loci citati non loquuntur.

III. Negatis rectè opponi hæc. Homo transgressor iustificatur ex operibus legis. Et, Qui seruat legem, iustificatur ex operibus legis. Rationem hanc additis, quia Paulus opponat iustitiam legis veram & iustitiam fidei. Respondi in secunda thesi, id non esse verum, quia si habuissent iustitiam legis veram, non opus habuissent iustitia fidei, nam vbi transgressio non est, ibi non opus est gratia. Sed illi iustitiam legis diuinæ non habebant, suam verò quæ in ceremoniis & traditionibus cõsistebat, quam & ipsi, & Paulus ipse imitatus, iustitiam legis vocat, stabilire volebãt, nec subiici iustitiæ Dei, ideo cum sua iustitia repudiabãtur. Nego igitur veram legis iustitiam opponi iustitiæ fidei, & confirmo adhuc meam oppositionem, quæ scripturæ est: Qui non fecerit hæc maledictus esto. Qui fecerit hęc, viuet in eis. Quòd obiicitis neminem implere legem, ideo eã docendo nihil prodesse, quia sensus carnis non possit subiici Deo.

ci Deo. Id de carne verum est, de qua Paulus loquitur, sed non verum est de spiritu. Nam ibidem dicit, iustitiam legis impleri in iis, qui secundum spiritum ambulant. Est igitur fallacia à dicto secundum quid, ad dictum simpliciter, cum colligitis. Carnales non faciunt legem: Ergo nec renati. Illud autẽ prorsus nego, quòd vos videmini pro confesso accipere, renatos videlicet habere sensum carnis, esse carnales, esse inimicos Dei, nec legi Dei subiici. Nam Paulus ipse dicit. Eos qui in Christo sunt, non ambulare secundum carnem, esse liberatos à lege peccati & mortis (condonata videlicet transgressione) & sapere ea quę sunt spiritus.

IIII. Quarta Thesis non aduersatur mihi, nam disertè idem affirmo, promissionem vitæ non datam esse ceremoniis, cum igitur Iudæi præter illas nihil haberent nisi hypocrisin, ideo Paulus constanter infert: Eos ex istis operibus legis quæ ipsi habebant, iustificari non posse, quancunq; legis partem spectemus.

V. Cùm scribo iustitiam operum, premia conciliare iis, qui iustificati sunt se-

mel per gratiam, infertis inde. Ergo non iustificantur per opera, si iustificati sunt semel per gratiam.

℟ Scriptura nunquam opponit iustitiam fidei & operum, nisi eiusdem temporis respectu, tum enim se tollunt mutuò, nec simul imputari possunt in hac vita. Iustitia fidei est in remissionem peccatorum, iustitia operum deinde sequitur & est in rectè factorum conscientia, quibus premia sunt proposita. Sicut dicitur Psal. 17. Cum bonis bonus eris, cum peruersis peruersè ages. Si ad declarationē eam respicitis, quę post hanc vitam futura est, concedo simul esse vtramq;, de eo enim mihi non est quæstio, sed quomodo hic iustificemur coram Deo.

VI. Quod verò salutis æternæ causam esse negatis etiam opera, id iudico vos contra scripturam facere. Nam Mat. 25. dicitur. Iustos, qui fecerint ea, quæ commemorantur ibidem, ituros in vitam æternam. Paratum est illis regnum id, à mundi constitutione, sed hac conditione: si vocationem bonis operibus cōfirmarint. Nemo enim nisi legitimè certauerit,

tauerit, coronabitur. Qualemcunque igitur causam salutis dixeritis esse, causam certè esse, nunquam negare potestis, nisi fortè laborem non rectè appellamus causam mercedis.

VII. Detorsisse me locos Luc. 13. Mat. 23. de vrbis vastatione, quomodo quæso probabitis, cum inde colligam, gratiam Dei, si repudietur in die visitationis, non denuo offerri, & pœnam proximam sequi. Et quā vitam æternam promittimus iis, quos Deus iratus ob scelera perdit, si ei sit exploratio constantiæ aut fidei, qualis est Iobi & Martyrum, causa esset cur detorsionem accusaretis, nunc nihil minus potestis. Paulus porrò cum inculcat, nunc in tempore hoc, nunc est tempus acceptationis. De gratiæ, quæ Messiæ exhibiti tempore illis oblata est, antequam pœna in illos desæuiret: non autem de perpetua annunciatione remissionis peccatorum & gratię, loqui, libenter concedo, ac idipsum est, quod ego defendo. Ita enim & Christus minitatur tenebras, si lucem aspernētur Ioan. 12. Nec video quomodo provobis faciat

bis faciat hæc sententia, nisi forte tempus exhibiti messię intelligitis illud triēnium, quo ipse docuit. At tum falsum erit, Paulum de illo tempore loqui, qui multis post ascensionē Christi annis scripsit.

VIII. Quæritis cur Paulus proponat conuersis doctrinam de remissione peccatorum, si annunciatio gratiæ non est omnium temporum. Respondeo me in nullo citatorum locorum verbum vnum legere, quo promittatur illis remissio, si post hæc peccent, sed proponitur illis prius Dei beneficiū considerandum, vt discant intelligere magnitudinem gratiæ diuinæ, & ambulent, sicut vocatione ipsorum dignum est. Ostendatur inquam Eph. 2. Gal. 2, 3. Phil. 3. 1. Tim. 1. Tit. 1. vocula vnica quæ promittat: Si secundum carnem vixeritis remittetur vobis, & raccbo. Ne quæso imitemur Melium, qui multa præter rem citat. Sed obiicitur. Remissio peccatorum non erit continua hac ratione. Scripsi me legere exempla quædam, sed nullam promissionem, quæ dicat, Mœchare audacter

& remittetur

& remittetur tibi. Itaque nemo abutatur bonitate Dei. De fide in Christum respondebitur peculiari scripto.

IX. Exempla remissorum interdum peccatorum non constituunt regulam, quòd Deus semper debeat aut velit remittere. Quòd electi non prorsus excidant gratia Dei, etiamsi peccent, nusquā legi in sacris literis, hoc lego Deum serio auersari peccatum, et qui peccet eum esse ex diabolo, non ex electis (loquitur de peccatis contra conscientiam, de quorum remissione nobis pugna est) eos autem, qui ex Deo sunt, peccare non posse docet Ioannes. Nec scio, vnde probetis, electos, si peccent, perire non posse, cùm scriptura vocationem iubeat confirmare bonis operibus, nec agnoscat electos, nisi qui ambulant sicut vocatione illorū dignum est. Nam cum iustus recesserit à iustitia sua, non proderit ei vniuersa iustitia ipsius Ezech. 33. Tandem cupio scire, vbi extet præceptum de futurorum peccatorū remissione, nam Ioannes huc non facit quicquam.

X. A pœnis temporalibus iudicare

de æternis

de æternis, alienum vobis videtur à verbo Dei. Ego verò nusquam legi pœnas infligi, quæ non sint iræ Dei & damnationis æternæ testimonia, nisi Deus misericordiã exercere velit & remittere peccata ac vitam ipsis conseruare, pœnas dico, ne putetis me de sanctorum afflictionibus loqui, quæ non iræ, sed fauoris, fidei sunt signa. Eis verò, qui pereduntur & occiduntur ab irato Deo, nusquam lego, esse remissa peccata, quia mors eiusmodi in maledictionem proponitur, nusquam in benedictionem. Dauid hic punitur ob peccata, ideoq; queritur, dolores inferni, seu mortis circumdedisse se. Sed quia non occiditur, habet veniæ testimonium. At Sauli quis promitteret æternam vitam, qui ob desperationem sibi æternam accersiuit ignominiam.

XI. Peccatum vltroneum, quod commemoratur Leuit. 6. 7. non est peccatum ad mortem, quod vnum ego opposui aliis omnibus, pro quo nullum erat sacrificium, nam furto aut abnegatione depositi, aut similibus fraudibus, iisue, quæ per negligentiam fiebant, vt Num. 5. dicitur,

5. dicitur, non erat mortis pœna proposita, sed restitutio ablati & quintæ partis persolutio. Vnde manifestum est, nõ loqui Mosen hic de capitalib. sicut Num. 15. vbi ob peccatum eiusmodi per contumaciã admissum mortis pœna constituitur, sicut mox subiicitur exemplum de violatore Sabbathi, in quem mortis supplicium constitutum erat Exod. 31.

XII. Omne peccatum pugnans cum lege, mente & voluntate Dei, esse dignũ morte, non lego in sacris literis. Sed video distingui peccatum ad mortem ab iis, pro quibus orare iubemur. Itaque cum scriptura loquendum est, nec id capitale dicendum, quod lex Dei, peccatũ ad mortem nõ dicit. Si verũ esset, vt vos vultis, neminem facere iustitiam, non ne tolletur discrimen boni & mali, & sic omnia hominum facta dicerentur esse peccata. Nam iustitia seu bonum in solo Deo esset, peccatum verò seu malum in omnibus hominibus. Sed scriptura hominum quoq; opera bona & iusta vocat coram Deo, hoc cum vos negetis, quomodo boni & mali discrimen non tollitis?

XIII.

XIII. Negatis iustitiam fidei & operum ex temporis ratione distinguenda esse, vt vtraque rectè de homine prædicetur, ac postulatis à me testimonium. 1. Vos ipsos facio iudices, Gen. 15. & Rom 4. de Abrahamo prædicatur, quòd iustificatus sit fide nō operib. De eodē Iacobi 2. quòd iustificatus sit operibus offerens filium. Respondete, an eodem tempore hæc facta sint. Si diuerso, vt fateri necesse est, quomodo negatis, temporis distinctionem facere, vt vtrunque verè de eo prædicetur. 2. Apostolos iustificatos esse fide primum, quòd crederent Iesum illum esse Messiam, & à Deo exiuisse, nos quidem negabitis. At illos deinde Christus iubet iustitiam suam facere nō coram hominib. vt videantur, sed in occulto & coram Deo, quia ipsis repensurus esset. 3. Paulus quoq; magnificè prædicat iustitiam fidei in sua conuersione, at idem deinde non cessat prædicare suam bonam cōscientiam, professus se gloriam habere etiam in diuinis rebus Rom 5. Et ad Deum iudicem prouocat. 1. Cor 4. dicens. Se nihil sibi cōscium esse, non

tamen

tamen in eo iustificari, aut vt ipse interpretatur, se non prædicare seipsum, & auxiè laborare vt Corinthiis & Pseudoapostolis idem persuadeat, quia Deus (nō homines) sit futurus testis suę fidelitatis, de qua vnicuique sit futura apud Deum laus, tunc cum reuelabuntur cogitationes hominum. Vestram distinctionem quam in forma & modo constituitis in prima thesi euerti, nam Paulus, vt dixi, ideo negat Abrahamum ex operibus iustificatum esse, quia Moses nihil in eo loco de operibus narrat. Et si vestra distinctio vera est, quomodo vnusquisq; laudem habebit apud Deum propter fidelitatem in ministerio præstitam? Quomodo veri Iudaismi laus est apud Deum, non apud homines? Quomodo Deus retribuet si non probat bona opera, si ea non iustificant apud Deum, vt supra thesi 1. proposui exempla. Quomodo reddens pignꝰ ante noctem, habet iustitiam coram domino Deo suo Deu. 24. Quomodo, qui facit iustitiam, iustus est, sicut & ipse iustus est 1. Ioan. 3.? Vtri igitur funes ex arena nectunt? Ego ne, qui cum

scriptura

scriptura loquor? An vos, qui heri aut nudiustertius natã distinctionem inculcatis? An quia vobis ita placet, mox ego turbator sum, vos verò sapientes architecti.

XIIII. Sensum carnis esse inimicitiam erga Deum, nec posse Deo subiici verissimum est omnibus seculis. Sed in omnibus hominib. esse semper sensum carnis bis falsum est, vbi enim manent nobis, qui Christi sunt: qui secundum carnem nõ ambulant, qui crucifixerunt carnem cum concupiscentiis suis. Quis hominem mortuum peccatis, dicet habere sensum carnis? Quantum colligere possum, accipitis sensum carnis pro affectibus naturalibus, idq; contra mentem scripturæ, nam Gala. 5. aliter accipitur sensus carnis, & studia, seu opera carnalia: Et. 1. Cor. 4. Paulus Ethnicos sine Christo viuentes non audet ex æquo facere carnales, sed dicit, eratis aliqui tales. Locus Ecclesiastæ, quod nemo non peccet, nõ loquitur de sceleribus capitalibus, sed de erratis leuioribus, qualia multa inter homines incidunt, & admonet modestiæ,

modestiæ, vt memores infirmitatis nostræ, non temerè iudicemus, quia nemo sine crimine viuat. Sed inde probare, q̃d renati habeant sensum carnis, cuius est iudicii?

XV. Ad hanc responsum est in prima & decima tertia thesi.

XVI. Omnes homines fatentur se peccatores esse, verum est de ignorantiis & leuioribus erratis, pro quibus orant: remitte nobis debita nostra, sed cum nouissima peiora facta sunt prioribus, nullam lego promissionem. Sed illud: cum multiplicaueritis clamorem vestrum, nõ exaudiã, quia manus vestræ plenę sunt sanguine, excepto tẽpore gratiæ, quod quotidianum non est. Quòd si cum Deo comparetur homo, iustus coram Deo non est innocens, sed nos ad legem eius examinemus iustitiam humanam, à qua si non reprehenditur, stat & habet gloriam apud Deum. Non autem verum est omnes homines esse adulteros, homicidas, idololatras. Eratis aliqui tales, inquit Paulus.

XVII. De omnibus hominibus prædicari

dicari peccatum, excepto Christo, qui nunquam peccauit, libenter concedo, sed nego id semper de illis prædicari, & idem dico insanire cum ratione eos, qui pro illis verbis Pauli: Eratis tales, sed sanctificati, abluti, mundati estis, substituere conantur: estis adhuc in peccatis vestris, nec estis mundati, nec verum est de eodem homine, eiusdem temporis respectu, quòd sit iustus & iniustus (ad legis verba respicio, non ad collationem cum Deo) nisi credamus Christum & Belial, Deum & Diabolum posse simul habitare, & eundem simul carnalem & spiritualem esse. Sed vbi manebunt illa: Eratis quondam tenebræ, nunc autem lux in domino, eramus filii iræ, sed viuificauit nos in Christo & fecit sedere in cœlestibus. An idem est conuersationem habere in cœlis, & esse filium iræ? Est igitur manifesta corruptela in cap. 7. Rom. cùm ad spiritum referimus, quæ ille de carne prædicat. Nam loquitur de non renato, de seruo peccati, qui legem Dei non intelligat, & multa contra conscientiam faciat, quæ intelligit mala esse etiam rationis

am rationis iudicio. Concupiscentiam & affectum naturalem etiam in sanctis esse non nego, nam si illam non haberent, quomodo possent à concupiscentia tentari. Sed nego eam peccatum esse per se, nego sanctos frenum pmittere affectui, vt in peccatum erumpat, nam q ex Deo nati sunt, non possunt peccare ad mortem.

Sed seducimus noispsos, si dixerimus, quod peccatum non habemus?

℟ Interpretatur Ioannes seipsum, nam repetit iisdem penè verbis. Si dixerimus, quòd non peccauimus, mendacem facimus eum, & verbum eius non est in nobis, loquitur de præteritis peccatis. Deinde quod fuisse in cœtu credibile est, q non intellexerint adhuc veram christianismi rationem, & libertatem ad occasionem carni prostituerint: illis monstrat remedium in sanguine Christi, et monet, ne peccent amplius: Hoc scribo, inquit, ne peccetis, & si quis peccauerit (si peccatum habuerit, se peccasse intellexerit) habemus aduocatum, &c. Tãdem multa fiunt tempore annunciatæ gratiæ, quæ

deinde non fiunt amplius.

XVIII. Neminem iustificari in lege apud Deum, quia iustus fide viuat, rectè colligit Paulus Gal. 3. Nam quales fuerint Galatæ, satis ostendit, cum prohibet facere desideria carnis, prohibet carne consumari, testatus scripturam omnes peccati damnare, & si taceret Paulus, res ipsa clamat, eos verè damnari, cum fuerint gentes. Præterea illosipsos, qui circumcisionem tãtopere vrgebant, negat legem seruare cap. 6. Quæ igitur vtrisq; ex factis esse potuit iustitia? Perfectionis vocabulum, item iustitiæ, cum tribuitur bonis operib. coram Deo non potest aliud significare, quàm ea vt bona & iusta probari ab illo nec vlla causa cit cur nolimus cum scriptura loqui. Nec vllus vnquam in sacra scriptura reperiet distincta hæc: Iustificari coram Deo ex operibus, perfectè ambulare coram Deo & legem seruare. Nam certè qui fecerit hæc, viuet in eis. Quod autem Paulus neget talem legem esse datam, quæ posset viuificare, causam mox subiicit, quia scriptura eos sub peccatum includebat, sicut

sicut & Rom. 8. dicit, Impossibile fuisse illi, vt seruaret homines, quia p carnem fuerat infirmata, alioquin lex nõ est contra tales, qui fructus spiritus habent, sed iustificat & approbat eos Gal. 5.

XIX. Hominis opera bona non posse sisti iudicio Dei, secundum legem propositam iudicantis (nam ipsi Deo nemo se comparare potest) quæ scriptura vnquam dixit? Mala opera & peccata cum ceremoniis opponit gratiæ Dei, sed nunquam opera bona. Sed non ex operibus iustis, quæ fecimus nos, inquit Paulus: Benè habet. Qualia erant illa opera, quæ fecerant. Eramus, inquit, insipientes, increduli, errantes, seruientes desideriis & voluptatibus variis, & malitia & inuidia agentes, odio pleni, &c. Cùm autem apparuit bonitas Dei, fecit nos saluos, non ex operibus illis iustis, quæ feceramus nos, sed ex misericordia sua. En iusta illa opera, quibus non potuerunt seruari. Sed hæc num sint manifestissima, videritis ipsi.

XX. An obruerim genuinum sensum dicti illius Luc. 17. Serui inutiles sumus,

facilè patiar ab omnibus amicis & inimicis iudicari. Paulus certè non fatetur, se malum certamē certasse, amisisse fidem, defeciſſe in curſu, ſed conſtanter opponit ſuos labores iudicio Dei, apud quem ſibi coronam eſſe repoſitam prædicat. Sicut & 1. Cor. 4. ℣ 5. dicit. Tunc enim erit vnicuiq; gloria à Deo. Non itaq; video, quomodo negare poſsitis, eos, qui inſtè faciunt, iuſtos reputari apud Deum, nam quomodo Deus probabit opera, quomodo mercedem reddet, ſi iuſta & bona ea non agnoſcit? Cur vocantur iuſtitia non coram hominibus tantùm, ſed & coram ipſo. Luc. 1. ℣ 75.

De Fide In Christvm.

XXI. Decreueram fuſius explicare mentem meam, ſed quia vrgetis hoc, breuiter reſpondeo ad 6. theſim veſtram. 1. Remiſsionem peccatorum & annuncia tionem gratię quotidianm eſſe nuſquam memini me legere, ideoq; poſtulo ſententiæ huius teſtimonium ex ſacris literis, quòd Deus, etiamſi cras ad mortem velit peccare aliquis, tamen remiſſurus ſit, nā pauca eius rei exempla non conſtituunt regulam,

regulam, quòd Deus ſemper id velit facere. 2. Prædicatam eſſe fidem in Chriſtum ad hoc, vt iram venturā tum Iudæi tum gentes euitarent, ac cum Deo reconcilierentur, lego, amplius deinde eadem cōditione illis fidem hanc prædicatam eſſe aut poſteris eorum, nuſquam lego, nec reperio vſpiam, eos deinde per eam fidem denuo prędicatam amplius aliquid conſecutos eſſe, hac ſanè poſteris ad imputationem ea fide opus fuit. Quod enim patres per fidem acceperant, vt fierent Chriſtiani, hoc liberi à natura habebant, quippe ſanctorum liberi, nec quiſquam in hunc diem Chriſtiani hominis filium antequam adoleſcat & credere poſsit, quòd Ieſus ille fuerit Chriſtus domini, vocat Turcam aut Ethnicum, niſi adultus ob vitam improbam & flagitioſam exhæredetur & excidatur de arbore.

Ob hanc cauſam ego durare apud poſteritatem illā imputationis fidem, quæ eos, vt alienigenas populo Dei accenſeat aut amplius aliquid iis conferat, ſed ſemper eſt in iis, q ex idololatria primi conuertuntur. Ita hodie fortaſſe Turco aut

Tartaro alicui, si ad Christianismum per traheretur, formula illa fidei proponi posset, liberis verò illius, quos in christianismo susciperet, opus non esset, vt qui nascerentur Christiani, & hereditarium illud nomen possiderẽt. Et quis vestrum concedet liberos suos, antequam per ætatem possint, credere Iesum esse Christum, Turcas aut Ethnicos appellari debere, quod necesse esset fieri, si credere Iesum esse Christum facit Christianos etiam eos, q fidelium sunt posteritas? Nonne ab vtero secum adferunt ius illud adoptionis et familiç, quia in ecclesia nascuntur, vnde tamen eiiciuntur deinde, & ex natura Christianis fiunt natura Ethnici, nisi illam suam adoptionem quam habẽt ex patribus, bonis operibus confirmauerint, sicut Paulus de Iudæis sui temporis inquit: Eos, cum natura essent sancti, factos esse natura filios iræ, sicut gentes aliæ, quç nunquam in Dei populo fuerãt, eò quòd facinora illorum imitarentur, & circumcisionem illorum factum esse præputium. At remitti peccata per christum etiam iis, qui semel in oleam insiti prolabuntur,

prolabũtur, lego quidem, vt Iudæis tempore Christi, sed nusquam lego promissionem, quæ illis, si amplius peccent, aut posteris eorum, per eandem fidem, quòd Iesus sit Christus, remissionem offerat.

Nec video vnde id colligere possimus nisi fortè Dauidi ideo remissum est adulterium, quòd ad imitationem Abrahæ crediderit sibi vetulo nasciturum filium nam fuisse aliud nomen, in quo saluarentur & imputationem consequerentur illi, quis negat? Cum Mosi, legi, patribus, traditionibus, & similibus, quæ iactabãt Iudæi, nomen illud manifestè opponatur? At quomodo inde sequitur. Illis imputatio iustitiç cõtingit per nomen Christi. Ergo quoq; posteris opus est imputatione, quam per illud nomen consequantur. Quomodo igitur dicitis remissa peccata sunt iis, qui post imputatam semel iustitiam fidei ab annis 1540. prolapsi sunt, aut ipsi aut posteri eorum. R. Nescio, quia nullam habeo scripturam, quæ se ad posteritatis tempora extendat, nec audeo ex me aliquid fingere. Si ab exemplis aliquid colligi potest dicã cos obla-

776

tam remissionem amplexos esse, quamuis non sciam quibus verbis, aut qua conditione fidei illis oblata sit. Paulus iubet confirmare Corinthios charitatem in eum, qui patris vxorem habebat, sed non lego, hoc secundo ab illo requiri vt credat Iesum esse Christum, si velit recipi in Ecclesiam, nec Dauidi proponitur illud credendum, Sic erit semen tuum, quo credito, Abrahamus fuerat iustificatus. Sed, Deus reiicit post tergum peccatum tuum. Itaq; nihil possum confirmare de eo, de quo nulla extat scriptura. Cum ad nostros maiores ventum est, qui ex barbaris nationib. ante mille annos, aut circiter, ad fidem Christi pertracti sunt, hic demum longè se maxima offert difficultas, cum ne de illis quidem sciamus, quo nomine saluati sint, tantùm abest, vt certè possimus dicere, quo nomine posteris ipsorum remittantur peccata.

Quis enim vestrum affirmare audebit, hac vel illa forma fidei proposita eos ad Christianismum vocatos esse, & imputationem illam fidei pro se & posteris accepisse, cum, quo ad Germanos, Boemos

Boemos, Hungaros & alios populos manifestum sit, eos armis ad suscipiendam Christiani nominis professionem adactos, ac interim eadem necessitate ad trinitatis & sanctorum inuocationem, ad Missam, & id genus alias superstitiones & blasphemias, tanquam ad fundamentum Christianismi amplectendum compulsos esse. Ex qua historia probabimus, eos ita factos esse Christianos qd crederent Iesum esse Christum? Vbi igitur certitudo illa in perpetua successione fidei prædicatæ, quòd Iesus sit Christus? præcipuè cum vix nostra ætate intelligi cæperit phrasis illa. Res profectò non tam risu, quàm commiseratione dignissima, ex Christianis nos natos esse, nec posse demonstrare quid credendum illis, qui nomen hoc consecuti sunt, qui primi huius nationis nostræ ab idolis ad Deum traducti sunt. Dicet aliquis, eos in Christum credidisse, scio quidem id dici posse & solere, sed qualis illa fuerit fides in Christum, vbi nec personæ illius, nec officii vera intelligitur ratio, facilè est cuiq; cogitare, sed nõ facilè cum scriptura conciliare.

Fingamus hodie Turcum aliquem à Valachis persuaderi, vt christianus fiat, iam perlibenter velim audire, quid illi credendum sint proposituri, quo credito, Christianus fieri debeat, & Christianos deinde procreare liberos. Baptizabunt eum, hoc certum est, quia in ea re prora & puppis religionis est, ideo etiã inuitos sæpe tingunt, addent ieiunia & superstitiosas ceremonias, audiet ille etiam nomen Christi, sed quis, aut quid fuerit nihil audiet veri, sed plaustramendaciorum. Conferatur iam cum ejusmodi Christianismo, is qui maiorũ nostrorum fuit, nihil interesse videbitur. Quis autem dicet eum, qui sic conuertatur per fidem, quòd Iesus sit Christus, habere vitam æternam?

Hæc talia sunt, vt non immeritò cogitationem nobis iniicere debeant. 1. An qui incerta adeo & ignota ratione in possessione Christiani nominis missi sunt, verè fuerint Christiani. 2. Si fuerũt, quã fidei formam amplexi, populus Dei facti sunt. 3. cum nunc primum Dei beneficio superstitiones istas animaduertere incipiamus,

incipiamus, an, Apostolos imitati, debeamus veterem illam fidei formulam, qua illius Apostolici temporis homines imputationem consecuti sunt, eadem cõditione amplecti, & ita nos populo Dei inserere, adhibito quoque eodem pœnitentiæ signo baptismo videlicet, ac ita maiores nostros omnes à mille annis & vltra damnare infidelitatis isto facto, ac profiteri, quòd immundorum & ethnicorum parentum simus liberi. Quòd si faciemus multorum seculorũ constans consensus reclamabit, quo in hunc vsque diem Christiani appellamur, & ex nulla scriptura ostendi potest, eo consilio baptismum aquæ institutum fuisse vt post mille & 300. annos post restitueretur. 4. An verò tanqnam ex sanctis & Christianis parentibus nati, debeamus naturali illa puritate contenti, ad premia proposita per bona opera contendere, quomodocunque tandem maiores nostri primi ad imputationem peruenerint. 5. An cõcesso eo, quòd simus sanctorum liberi, aut etiam non concesso, Deus velit, nos fidem in Christũ eadem conditione, qua illi,

illi, vt scilicet ex non populo, fiamus populus Dei, amplecti, & vnde hoc probari possit? Perplexa hæc sunt fateor & inter impossibilia. Verùm enimuerò certi aliquid & solidè de iis dicere, herbam libenter porrecturo ei qui explicet. Mea sententia, si quis hoc quoque desideret, hæc est. Cum perpetuus sit totius scripturæ consensus, Deum punire peccata contra conscientiam, & remittere ea agentibus pœnitentiam, vt istam reuelationem voluntatis eius amplectamur, pro tempore gratiç, ac conuersi ad ipsum ex toto corde petamo delictorum veniam, quæ, verè dicere possumus, nos ignoranter peccasse, dum persuasi fuimus, mortem Christi summam peccandi securitatem & licentiam adferre, & custodiamus diligenter mandata eius, quæ per Mosen primum dedit, per Christum deinde interpretatus est, & per Apostolos ad gentes quoque transmisit, cumque vltimus prophetarum illius populi fuerit, nec doctrinam legis diuinæ, quo ad moralia etiam inter gentes, mutauerit, credamus illi quoque ex toto corde, non vt

prophetæ

prophetæ tantùm, sed vt vnico Dei filio & domino ecclesiæ suæ, hæc doctrina perpetua est & omnium seculorum communis, duratura donec homines erunt, qui Deum rectè inuocent. Qui verò certi sunt temporis (in quo genere pono baptismum & imputationem fidei in Christum, ad hoc vt ex non populo fiamo populus) ea vt historias maiorum legamus, in iisq; Dei bonitatem & misericordiam cognoscamus, salutem verò cuiusquam non alligemus. Nec propterea mutatur fundamentum de quo Christus & Apostoli loquuntur, aut euertitur petra, super quam ecclesia ædificata est, si negemus illā imputationem durare, qua non opus habemus, si tamen super illud maiores nostri fuerunt ædificati. Quorsum enim ego foris quæram, quod domi habeo vt appeller Christianus. Hæc fermè summa est speculationum mearum, quas qui perpenderit, incipiet dubio procul mecum dubitare, quantumuis hactenus dormierit securè.

XXII. Dictum Ioannis. 17. non loqui de nobis, inde manifestum est, quòd

ipse

ipse Ioannes exponit, à quibus malis eos eripi christus oret, loquitur enim de persecutione Iudæorum, nam dicit primò: Non oro vt tollas eos de mundo, sed vt serues à malo. Et cum prædicat neminem periturum, nisi filium perditionis cap. 17. mox exponit cap. 18. Si me quæritis, sinite hos abire, vt impleretur, qd dixerat: non perdidi ex iis quenquam, quos dedisti mihi. Atque hoc de discipulis. Auditores eorum intelligo à fatali illa Iudæorum clade eripi debere. Ergo nihil ad nos pertinet oratio Christi? Quis hoc dicit? Applicemus similitudinẽ nobis, intelligentes nos quoque Deo commendatos esse, vt seruemur à malis, non in illis malis, in quibus ipsi, sed in iis, quę nos premunt. Ille loquitur de suis temporibus, sit igitur de illis, verùm nobis seruiat similitudo ad doctrinam. Talia sunt: nunc intercedit, nunc sedet ad dexteram Dei, de suo tempore loquitur Paulus, quia non heri scripsit epistolam, vos vultis eum de nobis scripsisse, quid si dicam, Christus dicit: nunc est iudicium, nunc princeps mundi eiicitur foras. Ergo quia

go quia dicit nunc, de hodierno die loquitur, & hodie primum conuertuntur gentes.

XXIII. Duo tractari in epistola ad Hebræos dicitis. Quid Christus præstiterit, & an id sit æternum. Ego vtrumque concessi, sed aliter intelligo illud æternus pontifex, quàm vos, cum ipse autor sic interpretetur, quòd illis ęternam & stabilem attulerit salutem qui, recepe runt eum, non autem ideo, quòd posteri quoque fidelium opus habeant illa imputatione. Et qualis est collectio, si non perpetua successione debet prędicari redemptio Christi. Non est æterna. Ergo ne Petrus vel Paulus non accepit p Christum æternam redemptionem, si illa mihi hodie non annuntietur. At non in perpetuum cõsumati sunt sancti illi, de quibus epistola ad Hebrœos loquitur, si proxima subsecuta ætate, idem beneficium aliis quoq; Deus non prœstiterit. Obiicitis mihi fallacias. Quid ego dicam hoc esse, si fallaciæ non sunt, sed magnis magna licent.

Finis.

TRACTATVS TERTIVS.

SCOPVS SEPTIMI Capitis ad Rom. Anno 1572.

LONGVM esset totius capitis interpretationem ponere, & probare ex antecedentibus, quis sit omnium verborum sensus: tantùm summatim agam de scopo. Postquàm apostolus præcedentibus capitibus, scilicet 3. 4. & 5. copiosè disseruit de vberrima gratia sui temporis hominib. oblata, & postquàm probauit reipsa, defertionem à lege propter transgressionem factam esse, & homines non propter legis obseruationem, sed propter solius Dei misericordiã in Christi morte habere propitiũ & benignum Deum: incipit denuo cap. 6. & 7. 8. instituere Christianos, quomodo in posterum vitam gerere debeant, capite autem 6. describit à Christi exemplo, ab ipsius morte & resurrectione vitam veram & Christianam. Deinde 7. cap. huic vitæ Christianæ, exemplum vitę Pharisaicæ, quam

quam procul scilicet iustitia Pharisaica abfuerit à Dei iustitia seu Mosaica. Denuò cap. 8. cõiungit vitam Pharisaicam seu potius Ethnicam cum Christiana, & vtriusq; stipendium seu proprium indicat. Hoc autem ita esse iam probare incipio.

1. Primùm, Si hoc cap. 7. de homine nouo seu regenito intelligitur, tum nulla est differentia inter hominem carnalem & spiritualem, inter hominem seruientem concupiscentiis & non seruientem: sed est summa & maxima differentia. Ergo hoc caput de homine regenito intelligi non potest. Maiorem probo.

Paulus dicit hunc hominem, cuius personam induit esse carnalem, & seruire suis desideriis: Nullus autem carnalis est regenitus, sicut Christus testatur apud Ioannem, vbi dicit. Quicquid natum est ex carne, caro est. Quicquid natum est ex spiritu, spiritus est, dicit enim hominem carnalem, non posse videre regnum Dei.

2. Eadem Paulus dicit 8. cap. ad Romanos, in hunc modum: Qui in carne sunt, Deo placere nõ possunt, Paulus placuit Deo:

cuit Deo: Ergo Paulus non fuit in carne. Paulus itaque ista de homine regenito non dicit.

3. Paulus dicit Christianum hominem seu regenitum non esse in carne, sed in spiritu. Sed ille cuius fit mentio Rom. 7. fuit in carne: Ergo non fuit regenitus.

4. Item qui secundum carnem viuunt, & non secũdum spiritum, hi moriuntur: sed ille cuius mentionem facit Paulus, viuit secundum carnem, & non secundum spiritum: Ergo morietur.

5. Quotquot sunt filii Dei, hi omnes spiritu actiones carnis mortificant & non obediunt carni, seu cõcupiscentiis: Ille autem de quo Paulus loquitur, spiritu actiones carnis non mortificat, carne seruit peccatis. Ergo non est filius Dei sit ue regenitus.

6. Quomodo obsecro ista conueniunt homini regenito & quomodo conciliabis has duas sententias. Rom. 6. ℣ 12. 13. Ne ergo regnet peccatum in vestro mortuo corpore, vt obediatis concupiscentiis eius. Neque exhibeatis membra vestra arma iniquitatis peccato: Rom. 7. ℣ 18, 19.

℣ 18. 19. Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio: Nõ enim, quod volo, bonum, hoc facio, sed quod nolo malum. Qualis obsecro Paulus est cõcionator, si ipse prius transgreditur suæ doctrinæ præceptum? Si Paulus in hac persona describit hominem regenitum, cur alibi in suis omnibus scriptis hoc negat, & in ipsa tractatione, scilicet in antecedentibus & consequentibus, si homo regenitus vincitur à peccato, eodem modo, quo non regenitus, quale quæso est officium spiritus sancti in homine renato, aut quæ est differentia inter hominem renatum & non renatum, vterque enim interne & externè peccat.

7. Si hoc cap. 7. de homine regenito intelligitur, tum Paulus frustra adhortatur cap. 6. ℣ 1. 12. 15. ne homines regeniti maneant in peccato. Nam ille de quo capite 7. scribitur, non potest vitare peccatum, non potest concedere ne regnet peccatum, quia est vẽditus sub peccato, mancipium peccati. Certè Paulus Rom. 6. & 8. multò aliter depingit hominem renatum.

8. Galat. 5. ℣ 16. Qui ſpiritu Chriſti ambulat, ille deſideria carnis nō perficit, ſed ille de quo Paulus Rom. 7. ſcribit, deſideria carnis perficit. Ergo non fuit ſpiritu Chriſti regenitus, ſeu ſpiritu Chriſti non ambulauit.

9. Qui ſaltem mente ſeu intellectu ſeruit legi Dei, id eſt, Qui fatetur legem eſſe bonam, iuſtam, ſanctam, carne autem (id eſt, operibus) ſeruit legi peccati, ille non eſt regenitꝰ: ſed talis fuit iſte, de quo Paulus loquitur: Ergo non fuit regenitus. De talibus loquitur Chriſtus Mat. 5. ℣ 19. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Phariſæi docebant iſta, & minimo digito non attingebant, & multum extollebant legem ſeu commendabant legem.

10. Paulus dicit interiorem hominem eſſe legem mentis ſuæ, & ſecundum interiorem hominem ſe delectari in lege. Sed interiorem talem hominem, non pii, ſed impii tantùm poſsident. Ergo Paulus non de homine regenito loquitur. Nam apud pios homines mens hominis, ſeu interior homo non ſaltem delectatur lege Dei,

Dei, ſed etiam vincit externũ hominem, ne concupiſcentia, &c. in ipſo regnet. Ille autem internus homo, de quo Paulus loquitur ad Rom. 7. vincitur, ſuperatur & capitur à lege peccati, id eſt, à concupiſcentiis: ergo non poteſt intelligi de homine regenito.

Omnis homo habet internum & externũ hominem, ſiue ſit renatus ſiue non. Nam in ſacris literis externus homo, dicitur hoc quod nos appellamus ſenſus exteriores, ſcilicet viſum, auditum, guſtum olfactum & tactum. Interior homo dicitur mens, intellectus, voluntas, ſeu iudicium hominis ſeu ſpiritus. Hoc ita eſſe probo ex ſacris literis, præſertim ex iſto 7. cap. ad Rom. Nam Paulus interiorem hominem vocat voluntatem & affectus ſuos, ſeu intellectum & iudicium, cum dicit: Velle adiacet mihi. Item, Non hoc bonum, quod volo, ago. Item, Malum, quod odi, illud facio: nam ſtatim dicit, ℣ 22. condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem. Hoc certè nihil aliud eſt, quàm ſi diceret Paulus: Condelector bono, ſeu lege Dei, ſecundum

8. Galat. 5. ℣ 16. Qui ſpiritu Chriſti ambulat, ille deſideria carnis nō perficit, ſed ille de quo Paulus Rom. 7. ſcribit, deſideria carnis perficit. Ergo non fuit ſpiritu Chriſti regenitus, ſeu ſpiritu Chriſti non ambulauit.

9. Qui ſaltem mente ſeu intellectu ſeruit legi Dei, id eſt, Qui fatetur legem eſſe bonam, iuſtam, ſanctam, carne autem (id eſt, operibus) ſeruit legi peccati, ille non eſt regenitus: ſed talis fuit iſte, de quo Paulus loquitur: Ergo non fuit regenitus. De talibus loquitur Chriſtus Mat. 5. ℣ 19. Qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Phariſæi docebant iſta, & minimo digito non attingebant, & multum extollebant legem ſeu commendabant legem.

10. Paulus dicit interiorem hominem eſſe legem mentis ſuæ, & ſecundum interiorem hominem ſe delectari in lege. Sed interiorem talem hominem, non pii, ſed impii tantùm poſsident. Ergo Paulus non de homine regenito loquitur. Nam apud pios homines mens hominis, ſeu interior homo non ſaltem delectatur lege

Dei,

Dei, ſed etiam vincit externū hominem, ne concupiſcentia, &c. in ipſo regnet. Ille autem internus homo, de quo Paulus loquitur ad Rom. 7. vincitur, ſuperatur & capitur à lege peccati, id eſt, à concupiſcentiis: ergo non poteſt intelligi de homine regenito.

Omnis homo habet internum & externū hominem, ſiue ſit renatus ſiue non. Nam in ſacris literis externus homo, dicitur hoc quod nos appellamus ſenſus exteriores, ſcilicet viſum, auditum, guſtum olfactum & tactum. Interior homo dicitur mens, intellectus, voluntas, ſeu iudicium hominis ſeu ſpiritus. Hoc ita eſſe probo ex ſacris literis, præſertim ex iſto 7. cap. ad Rom. Nam Paulus interiorem hominem vocat voluntatem & affectus ſuos, ſeu intellectum & iudicium, cum dicit: Velle adiacet mihi. Item, Non hoc bonum, quod volo, ago. Item, Malum, quod odi, illud facio: nam ſtatim dicit, ℣ 22. condelector enim legi Dei, ſecundum interiorem hominem. Hoc certè nihil aliud eſt, quàm ſi diceret Paulus: Condelector bono, ſeu lege Dei, ſecundum

voluntatem meam, secundū intellectum & iudicium: Nā nullo alio modo homo potest delectari, quàm suo intellectu, voluntate & scientia, aut aliquid odio prosequi internè, quàm voluntate & intellectu, & si quid repugnat interiori homini saltem intellectui & scientiæ & iudicio hominis repugnat, sicut Paulus dicit: Video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ. Et: captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Vide legem mentis seu intellectus vocat interiorem hominem & cōcupiscentiam prauam, quæ in membris exterioribus, scilicet visu, auditu, &c. excitātur, appellat veterem hominem. Nunc tecum reputa, an non omnis homo, iudicio, intellectu & scientia sit præditus, annon omnis homo delectetur aliqua re aut non delectetur, annon omnis homo sensu aliquo externo sit præditus. Ergo omnis homo habet externum & internum hominem secundum Paulum.

Iam autem distinguitur homo renatus à non renato, quo ad internum & externum hominem id est, quoad interna &

na & externa opera. Nam in homine renatò internus homo, ita est per spiritum Dei renouatus ad omnia bona, vt etiam regat externum hominem & reprimat concupiscentias, quæ p visum, auditum, tactum, &c. ortæ sunt. Contrarium apparet in homine non regenito, qualem hominem apostolus in 7. cap. ad Rom. proponit. Plura lege in epistola ad Gal. 5. ad Eph. 4. Col. 3. Tit. 1. &c. Et si omnis ille esset regenitus, qui delectatur Dei lege, tum nemo esset regenitus. Nam Herodes delectabatur lege Dei, quam à Ioanne Baptista audiebat, sed propterea non est regenitus. Item apud Mathæum delectantur Dei verbo, propterea non sunt regeniti: tempore enim persecutionis abnegant. Imò omnes impii delectantur, quo ad se, hac lege Dei: Quod tu tibi non vis, alteri ne feceris. Certè Herodes quo ad se voluit sibi non eripi Herodiadem, & voluit seruari hanc legem Dei, cum tamen ipse transgressus sit legem hanc. Imò latrones commilitones, inuicem inter se hac lege Dei delectantur, & iniquū esse iudicant, si latro latroni vim

 inferat,

inferat, etiamsi erga alios cupiditate carnis seu diuitiarū vincātur. Ita dicit Christus apud Mathæum, hunc hominem nō esse regenitum, qui multa doceat de lege Dei, si multum commendat Dei legem, si hoc non præstat, quod docet & comendat. Ita dicit Paulus ad Rom. 1. ℣ 18. Quòd ira Dei super istōs ventura sit, qui veritatem in iniustitia detinēt, id est, qui sciunt veritatem, & operibus contrarium agunt. Ita ad Rom. 2. dicit, homines non esse regenitos, qui multum delectantur aut gloriātur de lege, cum operibus suis contrarium exprimant.

11. A tempore: non potest intelligi hoc cap. 7. ad Roma. de regeneratis, alias nullum erit discrimen temporis quo tempore Paulus dicit se fuisse carnalem, & ex carnale factum fuisse spiritualem. Cum ergo Paulus ponat interuallum tēporis, nostrum non est confundere tempus, dicit autem Paulus: cum eramus in carne passiones peccatorum, quæ per legem efficaces erant, in membris nostris, ad fructificandum morti. Nunc autem soluti à lege, morientes in quo detinebamur.

mur, vt seruiremus nos in nouitate spiritus, & non in vetustate literæ. Quis audebit ista componere aut confundere, quæ Deus disiunxit scilicet. Cum eramus in carne, vigebat peccatum in membris nostris, nunc autem seruimus in nouitate spiritus. Quomodo quæso interpretaberis ista: nunc autem seruimus in nouitate spiritus, id est, sumus adhuc carnales, ita'ne interpretaberis? Ergo si legimus spiritus, tum pro carne sumi debet, sed si sequentia verba, de regeneratis intelligas, tum & hæc ita interpretari debes.

12. Ad hæc cum Paulus vixit absque lege, fuit in carne. Sed olim vixit absque lege, & non tum temporis, quo hanc epistolam scripsit. Ergo septimum caput non de regeneratis intelligi debet.

13. Et non est absurdum, etiamsi Paulus induat personam hominis non renati, id enim moris est, vt sancti sæpissimè assumant aut induant personas impiorum, vt præsenti loquitur tempore, etiamsi non de se, sed de aliis voluit intelligi. Sicut in Threnis Ieremiæ clarum est,

præsertim

8614

præsertim cap. 3. vbi dicit se esse ciuitatem Hierosolymam aut populum Iudaicum, se abduci in captiuitatem &c. cum tamen liber fuerit à captiuitate. Eodem modo dicit Daniel cap. 9. ℣ 5. Nos peccauimus, iniquitatem fecimus, impiè egimus &c. cum tamen contrarium verum esse appareat. Nam legimus cap. 1. ℣ 8. Danielis, quòd Daniel noluerit se polluere cibo regio. Legimus etiã quòd potius voluerit oppetere mortẽ, quàm à Dei lege deficere. Imò apud Ezechielem cap. 14. ℣ 14. 16. 20. quòd Daniel sua iustitia poterit liberare animam suam. Ergo argumentum hoc non valet. Paulus dicit se esse hunc seu talem hominem, qualem depingit cap. 7. Rom. ergo reipsa talis fuit, tum temporis, quo ista scripsit. Ita 1. Tim. 1. Cum de vita sua præterita & impia dixit in præsenti tempore, se esse maximum peccatorem, non dicit se fuisse, cum tamen habuerit remissionem peccatorum, sed dicit se esse adhuc. Ergo Paulus iam regenitus fuit persecutor ecclesiæ, fuit blasphemus in Christum.

14. Si hæc

14. Si hæc verba de Paulo iam regenito sunt intelligenda, tum Paulus iam regenitus nullum omisit flagitium externum. Nam pro vt raptus fuit à concupiscentiis suis peccauit, dicit enim: velle adiacet mihi (vide, non loquitur de interna pugna saltem, sed de externa, voluntatem enim, seu cogitationes bonas habuit) sed perficere (scilicet opere) bonum non inuenio (bonum vocat bona opera externa) non enim quod volo bonum (id est, quod cogito) hoc facio (scilicet opere) sed hoc, quod nolo, malum, ago. Ergo Paulus iam regenitus, nullum bonũ opus præstitit, quia nunquam bonum, sed semper malum contra Dei legem fecit & non internè sed externè.

15. Quomodo constabit interpretatio eorum, qui dicunt, Paulum in isto capite describere luctam & victoriam hominis Christiani, cum sua carne seu cupiditatibus? Nam Paulus ibi describit talem hominem, qui semper succumbit cõ cupiscentiis, qui nunquam victor existit, qui semper superatur à sua carne: dicit enim, velle adiacet mihi, sed perficere hoc

re hoc bonum non inuenio, capior, dicit, à lege peccati, & non vinco. Vide ergo miserrimam conditionem hominis regeniti, qui nunquam victor euadere potest, si hoc caput de homine regenito intelligitur.

16. Nullius valoris est hęc obiectio, cum dicunt Paulum expresse dicere, hãc infirmitatẽ nõ damnare. Infelix ego homo; quis me liberabit de corpore mortis huio. Gratias ago Deo per Iesum christum dominum nostrum, & quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum misit &c.

Ergo secundum ipsos hæc omnia quæ Paulus in sua persona recensuit, firma sunt & manent in hominibo renatis. Quare vt declaratum est, nulla erit differentia inter hominem regenitũ & non regenitum, nullum discrimen inter vitia & virtutes. Nam eodem modo regeniti peccant, quo & impii, eodem modo superantur à sua carne, id est, à concupiscentiis carnis, sicut & impii. Deinde quæro, quid Apostolus vocat, liberari de corpore mortis huius? Non enim dicit, quis

cit, quis donabit mihi ista peccata carnis, quę perpetro iam regenitus, sed quis me liberabit de morte corporis huius? Mortem autem corporis appellat pœnam, quæ meritò corpori debebat infligi, propter hanc carnalem vitam, sicuti simile exemplum legimus 2. Samuel. 12. ℣. 5. vbi Dauid dicit, filius mortis est, qui fecit hoc, id est, ille dignus est morte propter hoc factum. Ita Paulus respicit ad antecedentia, vbi dicit, peccatum non cognoui, nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces, occasione autem accepta peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam. Sine lege etiam peccatum mortuũ est. Ego autem viuebam (non iam viuo) sine lege quondam, sed cum veniisset mandatum, peccatum reuixit. Ego autem mortuus sum &c. Hanc sententiam legis appellat mortem corporis. Nam lex dicit: Maledictus omnis, qui non manserit &c. Lex tali transgressori non dat vitam, sed potius mortem, & impossibile est legi, vt seruet talem hominem, nam est infirmata per

ta per carnem, id est, per carnalia opera, quæ à Paulo sunt enumerata. Exempli gratia: Per carnem Dauidis tempore sui adulterii infirmabatur lex, offerendo Dauidi mortem & non vitam: Dauid enim incipiebat mori, sed quod erat impossibile legi &c, misit Deus prophetam Nathan, cum lege spiritus vitæ, (dicendo; non morieris, Deus enim abstulit peccatum tuum) quæ lex spiritus vitæ liberabat Dauidem à lege peccati & mortis, vt iustificatio legis (Leuit. 26. Deut. 28.) impleretur in Dauide hac conditione, ne amplius secundum carnem, sed secundū spiritum ambulet. Eodem & simili modo Deus, tempore Pauli egit: nam tempore Pauli omnes homines declinauerāt à lege, omnes effundebant innoxium sanguinem &c. Rom. 3. Lex Mosis tales iustificare non potuit: dicit enim lex si non feceris ea, quæ scripta sunt, damnaberis. Ergo per legem (tempore Pauli) saltem cognitionē peccati homines habebant, & damnabantur per legem sicut Dauid tempore sui adulterii, sed quod erat (tū temporis) impossibile legi, misit Deus

filium

filium suum cum lege spiritus vitæ, id est, cum remissione peccatorum Roma. 3. 2. Cor. 3. Act. 13. 1. Tim. 1. Heb. 9. Eph. 2. Quæ lex spiritus vitæ, id est, remissio peccatorum, liberauit Paulū & omnes trāsgressores legis à lege peccati & mortis, vt iustificatio legis impleretur: Leuit. 26. Deut. 28. in iis, qui in posterum non secundum carnem sicut cap. 8. Roma. exemplum extat, sed secundum spiritum ambulant, vti Rom. cap. 6. & 8. declaratur.

17. Quomodo quæso conciliabis conclusionem Pauli cum tua interpretatione? Nam dicis totum cap. 7. de homine renato intelligi, & dicta ista omnia ascribi homini regenito, vti: Ego autem carnalis sum vēditus sub peccato. Item, Mente seruio legi Dei, carne autem legi peccati &c. Quomodo inquam cōciliabis cum conclusione huius concionis ad Rom. 8. vbi dicit. Nil ergo nunc damnationis est iis, q sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant? Quorsum tendit particula ergo, num ad antecedentia? Quomodo annectit antecedentia consequentibus? Dicit ne? Ergo qui

m sunt

sunt carnales, qui sunt venditi sub pecca to, qui carne legi peccati seruiunt, iis nihil nunc est damnationis. Non certè, nō ita, sed contrarium pronuntiat, dicit enim. Nil ergo nunc damnationis est iis, qui non secundum carnem ambulant. Ergo antecedens cap. 7. nō de homine regenito intelligi potest, ille enim sicut sæpe probatum est, de quo Paulus dicit, sua carne non seruiebat Deo, sed legi peccati, siue concupiscentiis.

18. Ad hæc nullus locus obscurus, & non satis expressus, debet locos claros & perspicuos euertere, sed potius loci clari debent interpretari obscuros locos, omnes autem loci de vita hominis regeniti, dicentes, aduersantur huic 7. capiti, si de homine renato intelligendum esset. Gal. 5. ℣ 24. Qui sunt Christi, idem regeniti crucifixerūt carnem suam cum vitiis & concupiscentiis. 7. autem cap. Rom. contrarium dicit. 1. Cor. 13. ℣ 5. Dilectio Christiana non cogitat malum: sed ille in 7. cap. non solùm cogitat malum, sed etiam facit. Neq; ista possunt intelligi, ac si Paulus repræsentaret personam cuiusdam, qui vixit ante illum.

TRACTATVS QVARTVS.

DECLAMATIVNCVla contra Prædestinationem Neotericorum.

QVoniam auditores doctissimi, consuetudo huius scholę à me, qualicunque officiolo defuncto, id suo quasi iure, efflagitare videtur, vt in huius resignatione, oratione aliqua, specimine profectus studiorum meorum, apud vos declamem. Ne autem vanæ alicuius, vel prophanæ materiæ tractatione purgatissimas vestras aures offendam, pauca de noxia & circa salutē nostram, hoc quidem tempore periculosissima Neotericorum Prædestinatione, pro ingenii mei tenuitate, dicendum putaui, vos itaq; auditores candidi, vt attentas pariterq; benevolas præbeatis aures oro.

Cum inde à tempore exorientis Euangeliià Theologis purioris, quos vocant, doctrinæ, non solùm publicis scriptis, verùmetiam viua voce, passim in Ecclesiis publicè doctum sit, Deum quosdam

ab æterno elegisse ad vitam, quosdam verò ad mortem, quorum hi, quicquid boni conentur agere, vel etiam agant, nunquam possint vitæ æternę hæredes fieri. Illi verò quantumuis magnis sceleribus & peccatis sese polluunt, nunquam tamen hæreditate excidere atq; ea priuari posse Rom. 11. ℣ 29. electionis enim suæ non posse Deum pœnitere. Quæ sententia cum non solùm vniuersæ scripturæ sacræ, quæ de Deo dicit atque affirmat (Act. 10. ℣ 34. 35. Iob. 34. ℣ 11. 19. Psal. 5. ℣ 5. Psal. 58. ℣ 12. Iob. 24. ℣ 12. Rom. 2. ℣ 5. 6.) Quod nullũ habeat respectum personarum, quòd sit iustus iudex, atq; in extremo die daturus sit vitam æternam iis, qui bona operati fuerint, illis verò, qui mala perpetrarint, gehennam & æternas pœnas Math. 25. verùmetiam toti vetustati, quæ hoc dictum tanquam vnum ex principiis primis Theologicis iuuentuti subinde recitauit, eiq; à teneris annis summo studio inculcauit: Omnia sunt in potestate Dei, excepto timore ipsius, aduersetur, satis me iustam jam & grauem habere causam iudico, vt eã tanquam

quam blasphemam, noxiam, nullisq; scripturæ sacræ monumentis fundatam reiiciam atque respuam. Quod enim quæso dogma salubre, piumq; esse potest, quod non duntaxat oracula diuina non spirat, sed iis planè est contrarium, eaq; quo consistere possit, euertere conatur? An non Christus patris sui cœlestis fidissimus legatus clamat Math. 15. ℣ 9. Frustra me colunt mãdatis hominum. Nunquid idem dicit Math. 7. ℣ 21. Non omnis, qui dicit mihi domine domine intrabit regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris mei? Sacræ scripturæ aduersari inde patet, quod secundum electionem dare vitam, vel mortem irrogare ex diametro pugnat cum Christi verbis Math. 25. ℣ 34. Venite benedicti patris mei in gaudium, & quæ sequuntur. Item, abite maledicti in gehennam. Pugnat non minus cum verbis Mosis Deu. 32. ℣ 46. Et nunc Israel audi hæc statuta & hæc iudicia, quæ ego doceo te, vt facias, quo viuatis. Preterea dare vitam propter electionem, & destinare gehennæ propter eandem, pugnat vehementissimè cum

Minden példányban
hibás a számozás
(91–100/b sthatok nin-
csenek.)

mè cum iis ſcripturæ locis, qui de Deo prædicant, quòd ſit iuſtus iudex, atque quòd in eo nullus ſit reſpectus perſonarum, quos locos ſupra citauimus. Nam quem obſecro iudicem dabis mihi iuſtũ, qui ſecundum electionem, ſeu beneplacitum ſuum, & non ſecundum præſcriptas à ſe, vel ab aliis leges cauſas decidet atq; dirimet? Annon iuſtitia virtus eſt, ſuum cuiq; tribuens? Annon ipſorum prædeſtinatio, huic dat quod non habet, hoc eſt, tribuit ei vitam æternam & mercedem, teſte ſcriptura, bonorum operum, quæ in ipſo nunquam fuerunt? Nunquid non aufert præter omne ius & fas ab altero, quod habet, hoc eſt, adimit ei premium bonorum operum, vitã æternam & pœnis afficit, quas minimè eſt meritus? Profectò igitur, qui hoc facit, iuſtitiam appellabis, cœlum terræ, lucem tenebris, & vitam morti commiſcet. Hoc autem quia luce clarius eſt meridiana, non opus eſſe exiſtimo, vt de eo pluribus agamus. Accedamus igitur ad alterum, quod eſt: Hanc doctrinam de prædeſtinatione, quæ hactenus in noſtris Eccleſiis

ſonuit,

ſonuit, pugnare cum totius veruſtatis docta ſententia, quæ eſt: Omnia ſunt in poteſtate Dei, excepto ipſius timore. Quod dictum explicabimus prius paulò latius aliis verbis, quàm demonſtrabimus ex puris & rectè intellectis atq; explicatis ſcripturis hauſtum atq; deſumptum eſſe. Quãdoquidem non dubito, vobis iſthoc inuſuatum videri, ideoq; nonnihil veſtras raſiſſe aures exiſtimo. Nouum q̃d à me dictum vobis videri, etſi doleam, hoc tamen me ſolatur, quod non tam odio veritatis, quàm eius ignoratione, hoc accidiſſe cõfidam. Nam noſtra ſecula, temporibus Ioſiæ, quibus lex Dei, iniuria temporis, in eam obliuionem venerat, vt liber legis tandem in templo inuentus & Ioſiæ oblatus, res quodammodo (2. Reg. 22. ℣ 8. 10.) ſimillimæ ſunt. Annon hæc ſibi mutuò correſpondent, carere libro legis, vt tempore Ioſiæ accidit, & habere librum legis, quem legere non poſsis, nedum intelligas? Nam ſi verum fateri volumus à veritate non abhorrere omnes clamabimus, Theologum ignarum fontis Hebræi, non poſſe certò ſci-

re per omnia verum & genuinum sen-
sum scripturarū. Nam qua ratione igna-
rus labii Chanaan ambigua explicabit,
obscuris lucem afferet, de multiplicibus
versionibus Bibliorum iudicium ferre
poterit? Profectò si ferr, idem facit cæ-
co iudicanti de coloribus. Nam non id
rectum & verum est, quod nobis arridet
atq; placet, verùm quod Deus in scriptu-
ris rectè & in suo fonte intellectis reuela
uit. Verissimè enim ab Hebræorum do-
ctoribus dictum est, in minima etiam li-
tera legis magnos pendere montes. Hinc
Christus dixit Math. 5. ℣ 18. Amen dico
vobis, iota vnum aut apex vnus de lege
non peribit, quod quidem & apices in
versionibus minimè conspici possunt.
Sed quid opus est tam altè rem repetere?
Demus ex versionibus posse veritatem
elicere, atq; hanc alterius posse esse inter
pretem, attamen mihi hoc dabitis, à nul
lo alio hoc rectè fieri posse, quàm ab eo,
cui omnes versiones sint cognitæ. Nam
etsi omnes eæ in vnum volumen conge-
stæ essent, vix tamen satis vbiq; lucule-
ter Hebraismum exprimerent, præser-
tim cum

tim cum maxima pars interpretū, igno-
rato vno vero Deo patre, pro eo trinum
& vnum colētes, ad dogma suum firman
dum atq; stabiliendum principales scri-
pturę locos detorserint, atq; sic genuino
sacræ scripturæ sensui passim vim fece-
rint. Sed quotus quisque Theologorum
nostro seculo talis vel fuit, vel nunc est,
cui omnes versiones probè cognitę sint,
vnius enim de maxima parte, proh dolor,
dici potest, quod poeta cecinit. Nos nu-
merus sumus & fruges consumere nati,
& quę sequuntur, quàm quod diuinus di
xit Psalmista Psal. 1. ℣ 2. Et in lege eius
meditabitur die ac nocte. Sed omissis i-
stis parergis, accingamus nos ad explica
tionem dicti. Omnia sunt in potestate
Dei, excepto ipsius timore. Sapientissi-
ma vetustas, ac sacrarum literarum sedu
la indagatrix, voluit hoc dicto significa-
re, hominem damnari (loquitur autem
de iis, q in numero populi Dei sunt) vel
saluari in solius hominis potestate esse,
& non Dei, imò tam remotum esse à viri
bus Dei, vt nunquam reluctante homine,
ab eo effici possit. Nam cum de homini-

bus, qui in populo Dei sunt, vetustati ser
mo fuit, principium salutis eorum in il-
lis ipsis statuit, auxilium verò tantum
Deo tribuit. Nam solita fuit dicere, idq;
in persona Dei. Si quis venit vt se purget
iuuamus ipsum (Hoc autem dictum cita
tur ab Hebræis doctoribus in expositio-
ne Psal. 4. ℣ 8. & Psal. 16. ℣ 5.) Idem iu-
dicium de damnatione hominis habuit,
sic enim de ea inquit: Si verò quis venit,
vt se inquinet, polluimus illum. Contra-
riorum siquidem eadem est ratio. Expli
cato iam dicto, videndum nobis occur-
rit, an sacræ scripturæ sit consonum nec
ne. Nam cum contra aduersarium hanc
legem tulerimus, supra, cum diximus,
dogma quod non spiret sacras literas, sa
lubre esse non posse, quicquid sacris lite
ris non sit consonum, atq; ex iis rectè in-
tellectis extructum, homini Christiano
reiiciendum atque damnandum esse, tan
quam blasphemum in Deum & saluti hu
manæ noxium, profectò æquum est, vt
eidem & nos subiiciamꝰ. Quòd potestas
& facultas primaria salutis humanæ (de
iis loquor, qui sunt populus Dei) in solo
homine

homine sita sit expresse testatur Moses
his verbis Deu. 30. ℣ 15. Ecce dedi ante
te hodie vitam & bonum, malum & mor
tem. Item ℣ 19. Contestatus sum hodie
contra vos cœlum & terram quòd ante
faciem tuam hodie dederim vitam &
mortem, benedictionem & maledictio-
nem, & eligas vitam, vt viuas tu & se-
men tuum. Similiter Paulus Rom. 8. ℣ 1.
Nulla nunc cõdemnatio iis, qui in Chri-
sto Iesu, qui non secundum carnem, sed
secundum spiritum ambulant. Item ℣ 13
eiusdem capitis. Si actiones carnis spiri-
tu mortificaueritis viuetis: & quæ sequi
tur. De perditione seu exitio par est ra-
tio. Sequitur iam vt probemus benè di-
ctum esse, & à scripturis minimè abhor-
rere sacris. Timorem Dei, à qua pendet
humana salus, non esse in potestate Dei,
sed hominis, omnium primò probãt hoc
firmiter verba Mosis Deut. 10. ℣ 12. Et
nunc Israel, quid Iehoua Deus tuus pe-
tit abs te, nisi vt timeas Iehouam Deum
tuum, vt ambules in omnibus viis eius,
& vt diligas eum, & vt seruias Iehouæ
Deo tuo, in omni corde tuo, et in omni
anima

104/6

anima tua. Absit autem à nobis, vt cogitemus, quòd Deo hac ratione adimatur sua potentia. Nam vt in hoc dicto, Deus non potest virgini corruptæ, virginitatem suam restituere, verissimè hoc non fit, quia ipsius omnipotentia nõ pugnat cum eius voluntate. Sic nec in illo religioso vetustatis dicto. Vt quemadmodum Deus, quia semel in verbo suo distinxit, inter eã virginem, quæ suam adhuc habet virginitatem, & eam, quæ illam amisit, in æternũ hoc discrimen non tollit, nec corruptam in integrum restituet, aut eam incorruptam pronuntiabit. Sic cum statim, postquàm condidit hominem, ipsi in omnibus rebus reliquerit liberum arbitrium, vt abundè scriptura testatur, cum dicit, hominem conditũ esse ad imaginem Dei Gen. 1. ℣ 26. 27. Quodq; Deus Adamum suo ipsius arbitrio reliquerit in paradiso Gen. 2. ipsusq; voluntas fuerit vt homo sua sponte vel benè vel malè ageret, vt vel præmiis ornare ipsum, vel pœnis afficere posset, vt ex præcedentibus dictis videri est, nunquam cõtra hoc feciſſe repertus est,

vel etiam

vel etiam contra facturum, deprehendetur. Nam qua ratione posset hominem punire, & esse iustus iudex, si esset impius, atq; illi Deus ipse timorem ipsius non dedisset: Neq; ille per se & à se eum habere aut acquirere posset. Ad hæc profectò, si prædicta opinio de prædestinatione esset vera, nunquam necesse fuisset, vt Deus legem daret, vt mitteret prophetas Christum & eius Apostolos. Præterea ad quid quæso profuisset premia benefactis, & pœnas malefactis proponere, si nemo benè à se agere posset? Tandem qua ratione is, cui voluntas Dei annuntiata esset, cum ei fuisset aduersatus, reddi inexcusabilis, vel augere suas pœnas posset, si non in suo ipsius arbitrio esset situm, ipsam facere vel negligere? Annon sequeretur, quod procul absit, Deum esse Tyrranum maximum, atq; miseros homines figmentum manuum suarum, diris ac nefandis modis, præceptis inutilibus ac laboribus onerare? Esset ne discrimen inter hominẽ ratione præditum & bruta rationis expertia? Vltimò neq; magnum quiddam esset, aut res

alicuius

alicuius momenti, quòd Deus pepegisset cum Abrahamo & posteris eius fœdus. Gen. 17. ℣ 1, 2. siquidem omne fœdus conditiones habet, (vt ex loco citato videre est) quibus neglectis fœdus irritum fit. Nulla etiam esset præstantia Iudæi, nihil differret Christianus à gentili, doctus, ab indocto, & pius ab impio. Sed satis superq; de his etiam. At ne quis putet nos nimium vetustati temerè adictos esse, placuit verba Elihu Iob 24. ℣ 23. quæ idem planè volunt, ascribere. Quoniam non super virum ponet amplius ad ambulandum ad Deum in iudicio. Quorum expositio iuxta Abrahã Perizol doctorem Hebræum doctissima hæc est: Quoniam Deus benedictus, non ponet super virum vt cogat ipsum, quò ambulet ad Deũ in iudicio amplius, vel magis, quàm est in ipsius hominis electione, vt faciat, hoc est: Deus non cogit hominem, vt ambulet in viis Dei in iudicio & in iustitia, quoniam reliquit Deus hominem, in electione intellectus, vt id faciat, id est, vt ambulet in viis, quemadmodum inlege scriptum est: Quid Iehouah Deus tuus petit

petit abs te, vt supra verba citata sunt.

Accedamus iam ad tertium, monstremusq; paucis, Neotericorum Prædestinationem nullum habere fundamentum in scriptura sacra, quo facto, nemo non videbit, eam esse blasphemam, impiam & noxiã. Primùm dico, quòd, quemadmodum hoc dictum Mosis Deut. 7. ℣ 7. 8. Non quòd numero superares reliquos populos desiderauit te dominus & elegit te, sed quòd amaret te & seruaret iuramentum, quod iurauit patribus vestris, & his similia, intelligenda sunt de illa electione, qua populus Israeliticus, antea quasi neglectus à Deo, & non populus Dei, factus est populus Dei. Sic hoc dictum Pauli Ephes. 1. ℣ 4. Quemadmodum elegit nos in ipso, antequam iacerentur fundamenta mundi. Item, Roman. 9. ℣ 16. Igitur non volentis neque currentis, sed miserentis Dei, & reliquorum apostolorum similia dicta, ad illam electionem restringenda esse, qua ex non populo Dei, populus Dei factus est, minimeq; ex ea necessario pendere & sequi salutem. Nam si hoc esset, non fuisset ne-

cesse

1064

ceſſe in Moſe & in ſcriptis Apoſtolicis, has conditiones addi. Gen. 17. ℣ 1. Ego Deus omnipotens, & ambula coràm me & eſto integer in conſpectu meo. Ita Roma. 8. ℣ 13. Si opera carnis ſpiritu mortificaueritis. Siquidem nemo poſtquam conditiones ſunt additæ, niſi eaſdem impleuerit, vitam conſequetur. Quæ alias illis omiſsis omnibus Iudæis & Chriſtianis, ſi ſalo ex ſola electione penderet ſimpliciter, & neceſſario eam ſequeretur eſſet communis, & contingeret. Quia de omnibus ſcriptura indifferenter pronuntiat, quòd electi ſint. De Iudæis Gen. 17. ℣ 7. De Chriſtianis verò Eph. 1. ℣ 4. Ineffabilis autem gratia diuina hæc eſt, populum, qui non fuit populus Dei, atque multis peccatis & ſceleribus maculatus, non ſolùm à Deo non extirpatum eſſe, verùm ſanctificatum ac in numerum populi adoptatum. Nam quis non videt, Apoſtolum eo genere loquendi vti, quo vſus eſt propheta, cum dixit: Thre. 3. ℣ 42. Omnes iniquè egimus & rebelles fuimus, tu non propitius fuiſti. Secundò affirmo, quòd, quemadmodum hoc dictum

ctum Iſai. 1. ℣ 9 Si dominus non reliquiſſet nobis reſiduum, (ſic enim vox שריד ſonat) Sodomæ & Gomorrhæ ſimiles facti fuiſſemus, atque reliquorum propheterarum ſimilia dicta volunt, quod miſericordiæ ac gratiæ diuinæ, acceptum ferendum ſit, quòd non tota gens Iudaica, poſtquàm maxima pars cõditionem fœderis non ſeruaſſet, exciſa ac funditus extirpata ſit, ſed aliqui ſeu boni ſeu mali, vnde genus inſtaurari potuerit, ſint relicti. Sic dictum Pauli Rom. 11. ℣ 5. Et hoc tempore reliquiæ factæ ſunt ſecundum electionem gratiæ, & non ſecundũ opera, intelligendum eſſe, de reliquiis in genere populi Iudaici, quarum reſpectu populus ille tempore vaſtati templi ſecundi, non totaliter interiiſſe dictus eſt, earundemq; beneficio tribus Iuda & Beniamin vſque ad hæc tempora propagata, dixit autem factæ ſunt, pro fient, ponens præteritum pro futuro, quod ſcripturis valde vſitatum, præſertim in prophetiis, & non ſecundum noſtros aduerſarios tantùm de credulis Iudæis intelligi debere, cum aliquoties expreſsè, de in

credulis etiam Iudæis testetur, quòd ipsorum sint fœdera, patres & ipse Christus secundũ carnem: atque idem etiam ingenuè fateatur, quòd gentes per Christum conuersæ, quatenus suam vocationem atque electionem suis bonis operibus firmam non fecerint atque reddiderint, id tantùm consecutæ sint, quod Iudæi etiam incredduli ante Christum & rẽpore Christi habuerunt. Dicit enim Ephes. 2. ℣ 12. de gentibus. Quia eratis in tempore illo, sine Christo, abalienati à politia Israelis & alieni à pactis promissionis, spem non habentes, & sine Deo in mundo: Nunc verò in Christo &c. Præterea illam electionem de qua cap. 9. Roma. disputat, eamq; factam esse secundum gratiam affirmat cap. 12. ℣ 28. eiusdem epistolæ, tribuit etiam Iudæis incredulis in his verbis. Secundum quidem euangelium inimici propter vos, secundum autem electionem dilecti propter patres, dona enim et vocatio Dei ejusmodi sunt, vt ipsum eorum non pœniteat. Præterea in eodem cap. ℣ 16. vocat etiam incredulos sanctos, dicit enim. Quod si primitiæ

si primitiæ sunt sanctæ, tota conspersio est sancta, quòd si radix sancta est, & rami. Tertiò dico illas passiuas orationes (Rom. 9. ℣ 4. 2. Pet. 3. ℣ 10. 11. Rom. 11. ℣ 7. Exod. 7. ℣ 13. 2. & 8. ℣ 18. Act. 13. ℣ 48 Eph. 1. ℣. 11. Act. 2. ℣ 47.) excæcatus est, induratus est, ordinatus est, prædefinitus est. Et Græcum σωζόμενοι & his similes, quæ pro confirmatione, vel æternæ electionis vel reiectionis adducuntur, triplices sunt. Primò enim quædam per se & in sancta lingua nõ sunt passiuæ sed actiuæ, atque significant actionem immanentem vel reciprocam, hoc modo ordinatus est, id est, ordinauit se, seruatus est, id est, seruauit se, & sic in reliquis, vt doctissimè probat Sanctes Pagninus in opere suo Grammatico ex Hebræorum doctorum scriptis. nam coniugationes Nihpal & Hitpael apud Hebræos immanentem actionẽ significant, minimeq; passiuæ sunt, vt vulgus interpretum putauit atque transtulit. Secundò, Quædam sunt apud Hebræos intransitiua in cõiugatione Kal, quę per verba passiua verti minimè debuerunt,

sed potius per verba Inchoatiua, vt vocant Grammatici: sic Indurauit cor Pharaonis. Tertiò verò quædam dicuntur ratione præscientiæ diuinæ, qua Deus vidit antequam fuissemus, quid facturi essemus, vt illud prædestinauit nos, quod ex epistola ad Ephesios citatur, vti manifestum ex Mathæ. cap. 25. ℣ 34. Venite benedicti patris mei & possidete regnum à iactis fundamentis mundi vobis paratum (adde respectu bonorum operum, quæ facturi fuistis, vt ex contextu patet) Quartò dico Actiuas orationes illas quales sunt (Act. 14. ℣. 26. Item. 11. ℣ 18. & 16. ℣ 14. Isa. 7. ℣ 10. Exod. 7. ℣ 5.) Deus dat fidem, pœnitentiã, aperit corda, excæcat, indurat, dat spiritum sanctum, & id genus alias explicandas esse iuxta dictum religiosæ vetustatis, cuius supra meminimus: si quis venit vt se purget, iuuabimus illum, & contra: quod omnino cum verbis Christi conuenit. Ioan. 6. ℣ 37. Venientem ad me non eiicio. Item Math. 7. ℣ 17. Petenti dabitur, pulsanti aperietur. Præterea cum verbis Dauidis Psal. 18. ℣ 28, 19. & 2. Samuel. 22. ℣ 26. 27.

26. 27. Cum pio pium te facies, & cum viro integro integrum te facies, cum purificato purificabis te, & cum peruerso peruerteris te. Nam ipsissima veritas est, quo quis ardentius se pietati dederit & sanctitati, eò magis auxilium dei sentiet, magisq; dona spiritualia in ipso augebuntur & contra, iuxta dictum. Luc. 8. ℣ 18. habenti dabitur, & ab eo, qui non habet, etiã id quod habet auferetur. Vel potest dici, quod quemadmodum vetustas religiosa dictũ Malachiæ 2. ℣ 5. Fœdus meum fuit cũ ipso (Aarone) vita & pax, & dedi ei timorem & timuit me, & propter timorem mei fractus est, explicuit atque dixit, dedi ei timorem id est, eò quòd ille timuit me, & propter timorem mei fractus est, feci cum illo fœdus, dedi ei vitam & pacem. Item in explicatione dicti Gen. 25. ℣ 23. Et maior minori seruiet, addidit & dixit, propter ipsius bona opera, præcessit enim in textu & separabunt se, intellige hic ad suam bonitatem, ille ad suam iniquitatem & malitiam. Sic nos hæc dicta. Dedit fidem, aperuit corda, consedere fecit cum Chri-

sio in cœlestibus Ephes. 2. ℣ 6. explicare debere atque dicere, quod hæc Deus, aut fecerit ratione bonorũ operum, quę fecimus, aut fiendorum, quæ ipse præuidit & contra. Hæc dicta autem Ioan. 6. ℣ 44. Nemo venit ad me, nisi pater eum traxerit. Item Matth. 16. ℣ 17. Caro & sanguis tibi hoc nõ reuelarunt, sed pater meus cœlestis, atque his similia: intelligenda sunt de ministerio (sub quo priuatam etiam sacrorum Bibliorum lectionem intelligi velim.) Nam vt hoc dictum propheticum, Iere. 32. ℣ 33. verterunt ad me ceruicem & non faciem, & docui eos mane surgendo & docui eos, & ipsi non audierunt me. Sic quoq; hæc: Sed pater meus cœlestis, &c. Item, Nisi quem pater traxerit intelligenda sunt. Nam sensus est prioris quidem. Ego missus à patre meo cœlesti tibi reuelaui, siquidem aliquoties Christus, non solùm Apostolis, verùmetiam Iudæis dixerat se esse Messiam, posterioris verò: Nisi pater traxerit, adde, per ministerium, nam statim subiungitur: Si quis audit à patre meo & discit is ad me venit, idest, Si quis audit

audit verba mea, qui sum à patre missus. Nam expressè dicit. Luc. 10. ℣ 16. Audiens vos me audit, & qui reiicit vos, me reiicit, qui verò me reiicit, reiicit eum, qui misit me. De tractione verò antiquitas in hunc pronuntiauit modum: trahit Deus, sed volentem trahit: Inuitum enim nunquam traxit. Et Paulus Rom. 10. ℣ 16. Quomodo credent, si non audient? & quomodo audient sine annunciante? & quæ sequuntur. Nam nemo vnquam exceptis prophetis & apostolis arcanorum Dei, ipsius q; volũtatis cognitionem assecutus est, sine externo verbo & prædicatione verbi externa. Ea autem omnia, quæ sine auditu, vel lectione externa à Deo sunt data, non fuerũt illis data propter illorum salutem: sed propter aliorum, ad quos sunt missi. Dicta verò illa, qualia sunt Ioan. 15. ℣ 5. Sine me nihil potestis facere. Item Ioan. 3. ℣ 28. Non potest homo sibi sumere quicquam, nisi datum sit ei desuper, & id genus alia, non salutem, sed munus publicum respiciũt. Nam de prophetis expressè Deut. 18. ℣ 15. dicitur; Et suscitabit Iehoua Deus tu

 us, &c.

us, &c. Idem scriptura passim de officio Messiæ & Apostolorum testatur. Huc pertinet etiam historia cõuersionis Pauli, nam ea omnia illi acciderunt, vt videre est ex Acto. cap. 9. ℣ 15. Non vt esset Christianus, sed vt esset apostolus, quem admodum manifestè testãtur verba Dei, atq; ipsius Pauli de se loquentis. 1. Cor. 15. ℣ 10. Gratia Dei sum, quod sum, loquitur enim eo in loco de suo Apostolatu. Tandem quod Deus promittit per prophetam Ieremiam 31. ℣ 33. se insculpturum legem suam in corda nostra. Et quod Christus dicit Ioa. 6. ℣ 45. Erunt omnes à Deo docti, nõ euertunt nostram sententiam. Nam qua ratione hæc dicta intelligenda sint, videre possumus ex historia Euangelica. Cui, quæso, in illa narratur, datus esse spiritus sanctus, & lex inscripta in cor ipsius, sine ipsius voluntate, atque opera, aut qui eum non petierit à Deo iuxta dictum Christi Math. 7. ℣ 11. Quantò magis dabit pater vester cœlestis bona petentibus ab eo. Præterea cui contigit obsecro vnquam, prophetis, (vti prçmissum est) & apostolis exceptis,

ceptis, absque auditione vel lectione verbi diuini vera Dei noticia? Nam si hoc fuisset, nunquam Apostoli tam diligenter docuissent, neque vnquam tam sedulo ad lectionem et interpretationem scripturarũ suos adhortati fuissent. Ad hæc dictum Christi, & erunt omnes διδακτοὶ τοῦ θεοῦ, vitiose vertitur a Deo docti. Sensus enim est: habebunt cognitionem Dei, ex lectione vel auditione verbi diuini, vt patet ex prophetia Isaiæ ca. 54. ℣ 13. vnde dictum est desumptum, ac propterea verti debet: docti Dei dictioq; docti, sumenda est, vt in his verbis: doctus aleæ, trochi ue: nam spiritus Noui testamenti id fidelibus tantùm præstitit, felicius & minori cum labore discere & facere voluntatem Dei potuerunt, quàm populus Iudaicus antea potuit, vt exempla piorum in primitiua ecclesia ostendunt. Nam ii omnes, quamuis habuerunt spiritum sanctum, tamen Apostolos audiuerunt, sacram scripturam legerunt, se in interpretatione atque explicatione eiꝰ assidue exercuerunt, ad idq; faciendum se mutuo cohortati sunt. Verba in su

ba insuper Math. 20. ℣ 16. Multi sunt vocati, pauci verò electi, nihil cõtra nos faciunt, hoc in loco siquidem electi, est Nomen non Participium passiuum, vt ex Græco fonte patet. Græcus siquidem textus ἐκλεκτοί et non ἐκλεγομένοι habet, significatq; homines prestãtes ac claros, vt alibi Paulus expresse dicit, 1. Cor. 1. ℣ 26. Nõ multi nobiles & quæ sequuntur. Simili modo dictum Ieremiæ cap. 31. ℣ 18. Cõuerte me, & conuertam (me) nihil contra nos facit: quia conuerte me phrasi Hebraica, sonat idem, quod recipe me, propter conuersionem. Porrò historia Corneliii Act. 10. ipsa se euertit atque iugulat, diligenter perpensa. Vltimò dictum illud Ier. 15. ℣ 1. Si starent coram me Moses & Samuel, non anima mea ad populum hunc, & huic similia, explicanda sunt vel de iis, qui peccata perpetrarunt, quæ externam sunt merita mortem, de quibus Ioannes dicit. 1. Ioan. 5 ℣ 16. Est peccatum ad mortem, non dico vt pro illo oretis, vel qui peccant in spiritum sanctum, de quo peccato dicit Christus Math. 7. ℣ 31. Blasphemia ve-

mia verò spiritus, non remittetur hominibus, vel qui tempo gratiæ neglexerunt, vt quinque fatuæ virgines Mat. 25. ℣ 11. vel qui peccata peccatis accumularunt, de quibus Amos cap. 1. & 2. hæc verba sæpe repetit. Sic dixit Iehoua propter tres transgressiones conuertam eum, & propter quatuor non conuertam eum. Et Elihu Iob. 33. ℣ 29. Hæc facit Deus cum viro &c. Nam hi omnes non habent in sua potestate, vt redeant in gratiam cum Deo, raroq; contingit, vt veniam impetrent, vt Dauid & Manasse, propterea, cum scriptura de iis loquitur, vtitur hac phrasi: forte Deus remittet & condonabit ei, vt autor epistolæ ad Hebræos testatur Heb. 6. ℣ 2. 4 5 His obseruatis nullum poterit vnquam dictum adduci, quod non statim solui queat. Sed ne vestra benignitate videar abuti, tuendo aduersam partem, verba Iobi cap. 13. ℣ 7. 8. 9. 10. &c. legenda relinquo, dicendiq; finem facio. Nunquid pro Deo loquemini iniquitatem? faciem'ne eius suscipietis? an pro DEO contenditis? Bonum'ne erit vobis cum inuestigabit vos? An

112/b

vos? An vt fallit quis hominem, falletis eum? arguendo arguet vos, si in abscondito faciem acceperitis. Annon dignitas eius terrebit vos? & pauor eius cadet super vos? memoria vestra comparabitur cineri & corpora vestra corporibus luteis. Dixi.

TRACTATVS QVINTVS.

DECLAMATIO contra Baptismum addultorum.

INTER alia multa nõ minus scitè, quàm verè ab antiquis scriptoribus dictum, vulgatum illud est, Distingui oportere tempora, vt cõcilientur scripturæ, quod tam intellectum esse dextrè, quàm vulgò iactatum, optandum fuerat sanis omnib. ac pietatis veræ studiosis. Non enim aliud aliquid in causa fuisse existimandum est, cur simpliciſsima Apostolorum & Euangelistarum scripta ex summa luce in tantas tamq; pernicioſas tenebras, redi-

gerentur.

gerentur, quàm quod temporis nulla habita ratione, oscitãtes doctores, Christi seculum cum Abrahamico, nostra tempora cum Apostolorum ætate confuderunt, vnde tantùm erroris, tantùm caligi nis & ignorantiæ Ecclesiam Dei oppressit, vt ex Christo Moses, ex Paulo Isaias, & contra ex maledictione Adæ, Enangelium Christi fieret, ac omnia miserrimè inuoluerentur, sic vt non modo vulgò Christianorum, verùm etiam ipsis Doctoribus, alioqui nec ineruditis, nec negligentib. inaccessa quodammodo scripturæ sacræ esset intelligẽtia. Non enim in hunc vsque diem, Noui testamenti libri, aliter leguntur, quàm nudius tertius conditi fasti, ac temporum nostrorum commentarii, è quib. rituum ac ceremoniarum cõstitutionem petere oporteat, cum sint ætatis illius, qua Christus & Apostoli vixerunt, perscriptæ illic historiæ, diuinitus nobis, inter tantas imperirum ruinas cõseruatæ, in hoc, vt q̃ pacto Deus seculi illius hominibus reconciliatus sit, quid eos credere, quid facere voluerit, perspicere possimus: qui vsus non

sacrarum

sacrarum modo, verùm etiam prophanarum historiarum esse consueuit, vitæ enim & morum exempla, non rituum & ceremoniarum inde sumitur cõstitutio, nisi cum eiusmodi conduntur leges, quibus ex pacto vniuersa teneatur posteritas, quales erant in Iudaico populo, circumcisionis & sacrificiorum leges. Aliarum historiarum veteris testamẽti quis Christi seculi esset vsus, ostendit nobis Paulus, exempla inde nõ raro desumens, quæ similitudine quadã, ad suos auditores transfert, vt facit Rom. 4. cùm ostendit fidem in Christum ita imputari hominibus ad iustitiam, vt olim fides nascituræ ex sterili & effœta vxore sobolis Abrahę imputata fuit. Ita 1. Cor. 10. Heb. 2. 10. & alibi ostendit, Deum peccata nõ minus seueriter puniturum in Christianis, quàm olim punierit in populo Iudaico, & Rom 15. postquam docuit Christum non sibi placuisse, nec sua quęsiuisse sed infirmitati aliorum se accomodasse, & multa tulisse sicuti Dauid olim multas contumelias, pro gloria Dei pertulerat, qui fatetur opprobria eorum, qui

Deo

Deo obtrectarent, in se recidisse, subiicit generalem sententiam: omnia quæ sunt ante illud tempus scripta, seruire sui temporis hominibus ad doctrinam, vt per patientiam scripturarum habeant spem. At nusquam Paulus iubet eos superiorũ temporum imitari historias, si vellent saluari, & viuere, nec caruisset reprehensione, si quis tum ridiculè voluisset postes ædium, agnino sanguine respergere, vt angelũ percussorem euitaret, eò quòd maiores in Aegypto iussos esse legeret, cum illo tempore nec mandatum vt id fieret extaret, nec exterminator ipsis esset formidandus, præcipuè si eo insaniæ prolaberetur, vt victurum negaret, qui id facere neglexisset: ita Christus cum non ignoraret quid serpens æneus, in deserto præfitisset, non tamen eò ablegat ægrotos, vt eiusmodi serpentem fabricentur, quem aspicientes sanitatem recipiant, sed sumpta inde similitudine, ita historiam accomodat suo tempori, vt iubeat Iudæos in se respicere, ac in se credere, si velint à peccatis liberari, quẽadmodum olim à morsu serpentũ liberari sint

Mosis

mosis auditores, cũ in æneum serpentem respexerunt: sciebãt enim non in hoc serpentem illum fuisse extructum, vt perpetuò duraret ritus, sed fuisse illius vnius, idq; breuis temporis, vniusq; illius morsus serpentini à Deo propositum Iudæis remedium. Ita nobis quoque in historia Noui testamenti versandum erat, vt non rituum & ceremoniarum, verùm pietatis & morum, inde sumeremus imitationem, vt quemadmodum tum recepit in gratiam agentes pœnitentiam, ita nunc quoq; credamus, eum velle propitium esse iis, qui seriò peccata, quæ ignoranter fecerunt, detestantur. Quemadmodum tum filium suum & apostolos protexit in periculis, nec ante horam cõstitutam passus est opprimi, ita nos quoq; defensurus est, sic vt ne pilus quidem capitis nostri delapsurus sit absq; illius bona voluntate. Sicuti tum exaudiuit inuocantes, in spiritu & veritate: ita nunc quoq; exaudiet, qui ex corde ipsum inuocant. Hæc & similia alia inde nobis petenda erant, vt ita nobis quoq; scriptura sacra vtriusq; testamenti seruiret, ad doctrinam

nam & consolationem. Alia verò quæ fuerũt certi temporis instituta ad nostram ætatem, transferenda non fuerant, sed interpretes ob neglectam temporis rationem, omnia, vt dictum est, confuderunt. Quod tum propositum fuit maioribus nostris credendum, si iustitiam sibi imputari vellent: Iesum videlicet illum Nazarenum, esse vnctum illum prophetam ac filium Dei. Hoc ad totam posteritatem extenderunt, ita vt nunc quoq; negent nos saluos esse posse, nisi id credamus, nõ minus ridiculè, quàm si quis Christi tempore à Iudæis postulasset, vt si seruari vellent, crederent Deum ipsis centenariis daturum sobolem, quia Abraham hoc credendo iustificatus fuerat. Non considerarunt homines inepti prophetas eiusmodi, suo quemq; seruire tempori, peracta deinde legatione, aut pœnis, aliisq; quæ prædixerant, consecutis, non amplius istarum admonitionum esse vsum, nisi per similitudinem, ad alia tempora accomodentur. Esaias, Amos, Ieremias, & alii ad pœnitentiam inuitabant populum, certissimam denunciantes captiui-

ratem, nisi resipiscerent. Cumq; non reciperentur, pœna tandem consecuta est, vt in Babylonem abducerentur, tum frustra fuit sperare incolumitatem Iudaici regni, si Esaiæ verbis crederent, ad pœnitentiam illos exhortantis, cum iam illo excidissent, & vrbs vastata esset. Ad hoc tum in captiuitate poterāt illis prophetarum istorum, conciones prodesse, vt se iustè punitos esse intelligerent. At posteri illorum qui post annos 70. inde reducti sunt in terram Iuda, non ideo liberati sunt, & nacti propitium Deum, quòd verbis Esaiæ ad pœnitentiam vocantis, crederent, priori enim tempore antequam abducerentur in captiuitatē, id profuisset, sed quia Deus ita facturum se promisisset, id quod per Danielem fortassis, aut alium aliquem, ipsis tum quoque declarauit, & deinde per Aggæum, Zachariam, & alios. Ita enim promiserat ex illo populo semper prophetam se excitaturū, quem audirent. Deut. 18. Istud in scriptura perpetuò obseruatur, Noah suis hominibus concionabatur, futurum esse diluuium, nisi agerent pœ-

rent pœnitentiam, & in eius rei signum ædificabat arcam. Ista pœnæ denunciatio nihil facit ad ætatem Abrahæ: Moses iubet Israelitas suos credere, Deum introducturum illos, in terram promissam, non iubet eos credere futurum diluuium: Isaias non id concionis suæ argumentum habet, quod deinde Zacharias: sic Ioannes & Christus, non id quod Moses aut Isaias antea: ita Israelitæ non transierunt mare rubrum, hac fide, quòd crederent Iesum illum Nazarenum esse Christum. Qui Christi ætate vixerunt, non ideo seruati sunt, quod crederent Mosen à Deo esse missum, ad liberandum Israelitas ex Aegypto, aut quòd crederent, aspicientes serpentem æneum, seruatum iri. Ita nos qui nunc viuimus nō ideo seruamur, quòd credamus Iesum esse Christum, etsi enim verissima est historia, tamen non ea conditione nobis proponitur credenda, qua illis qui tum viuebāt, vt videlicet per id saluaremur. Sicut Iudæis certa erat historia Abrahami, qua occasione Deus illū adoptasset, non tamen hac conditione iubebantur

Christi tempore credere, Deum ipsis quoque omnibus daturum filium in sene ctute, vt nisi crederent, perirent. Nos enim in Ecclesia Dei nascimur & educamur, quomodocunq; tandem maiores nostri in Christianismum iniciati sunt, quod ad hoc nobis prodest, vt non dicamur Ethnici, aut immundi, sed filii sanctorum, & viuamus in populo Dei. Sed quia idololatria & impura vita Deum sepe offendimus, postquam iam restituta aliqua luce doctrinæ, ad sanitatem per ministros suos nos reuocat, seriò agenda est pœnitentia, ac emendanda vita, ne ira Dei nos quoque, vt olim Iudæos opprimat.

Fidei autem nulla certa forma, qua iustitiam consequamur, nunc nobis proponitur, cum nullum habeamus peculiari mandato instructum prophetam, sed ex illorum temporum historia id nobis accomodemus, quod agentibus pœnitentiam Deus esse velit propitio, quem credimus retributorem bonorũ operum, Heb 11. Hic erat noster Christianismus. sed nos omissa pietate nõ aliter, quàm olim

Israelitæ

Israelitę ex serpente fecerunt idolum, ita salutem nostrã quæ siuimus in baptismo, eò quòd Christi tempore legamus homines baptisatos esse, persuasi temerè, idem à nobis etiam requiri. Quæ superstitio cum plurimum impietatis in se habeat, ab omnib. sanis meritò explodenda est, vt autem rectius, quod dicitur, perspici possit, planius demonstrãdum est, baptismum illum ad nostra tempora nihil omnino pertinere, nec saniori à nobis imitatione vsurpari, quàm si quis arcam Noah Gene. 8. iugum Ieremiæ, Iere. 28. aut Regis Ioas sagittas 4. Reg. 13. sine certo Dei iussu & mandato Dei, velit imitari, in hoc enim labor hic à nobis susceptus est.

Ex historia Mosis notum est, Abrahamum cum posteris suis, ea conditione interposita, in gratiã à Deo receptum esse, vt coram ipso ambularent, quod nisi facerẽt, futurum esse prædixit, vt pro Deo & patre, aduersarius & hostis ipsis existeret, ac grauissimis pœnis impietatem ipsorum persequeretur, id quod non vno loco à Mose claris verbis perscribitur.

1171/b

Etsi autem frequenter admodum defice ret impia posteritas, ac, dum in deserto vagaretur, omnibusq; sequentibus seculis, iram Dei experiretur atrocissimam: tamen frequenter scriptura commemorat, Deum ad confirmandam promissionis suæ, quam patribus dederat, veritatem, noluisse illos planè delere, ne impiæ gentes ipsi insultarent, ac si in tutelam semel receptum populum, eò quòd perducere, quò promisisset, non posset, pudore adductus occideret. Repetitum quidem in Sina fœdus, expressam quoq; obedientiæ conditionem annectebat, comminitans atrocissimas pœnas si per impietatem pactum rescidissent. Extãt tamen non pauca misericordiæ ipsius, & remissorum peccatorum exempla, sed talia omnino, quæ ostendunt non legis beneficio, quæ præter mortuam, aut lethalem literam, aliud clamare nescit, quàm: maledictus, qui non manserit in omnibus his, sed vel vltrò oblatam, vel per intercessionem, Mosis, Aronis, Samuelis, & aliorum piorum remissionem illam impetratam fuisse: ideo etiam ex sua gente perpe-

perpetuò habuerunt prophetas, qui cum tempus miserendi aduenisset, aut pœna ante fores excubaret, populum de voluntate Dei, præmonerent, quos mortis pœna proposita ab illis audiri efflagitat. Tales cum venerũt, violati fœderis subinde eos accusarunt, vt ad pœnitentiam reuocarent, ac multò labore & studio collapsam propemodum disciplinam instaurarunt, hostium iugo, si conuerterentur, eos exemerunt, ac religionem pro virili restituerunt, ac ne falleretur populus, signa & iudicia quædam, quibus vocatio verorum prophetarum confirmaretur, vt plurimum habuerunt adiuncta.

Tales fuerunt post Mosen, Samuel, Nathan, Helias, Heliseus, Isaias, Micheas, Ieremias, & alii plures, per quos reconciliationem populo obtulit Deus, & si repudiarent, extremam perditionem interminatus est. Cum primis tamen illustre fuit misericordiæ diuinæ exemplum illud quando dispersum inter gentes populum, post 70. annos in regni Iudaici possessionem restituit, tũ cum rebus penè deploratis, finem non habitura

118/b

videretur iratî Dei vindicta, istud beneficium tanti æstimatum est, vt Ieremias cap. 31. Nouum fœdus, seu testamentum appellet, eò quòd prius illud, per violationem irritum factum, ac quodammodo sublatum esset, non quòd denuo illos adoptaret in populũ ex paganismo (semper enim sanctorum patrum fuerunt posteritas, quantũuis peccassent,) sed quòd prior illa adoptio, nouo quodam testimonio fauoris & gratiæ instauraretur, sic vt prophanæ gentes agnoscere cogerentur, populum illum Deo esse curæ. Ad huius remissionis exemplum, multa possunt in populo Iudaico noua testamenta numerari (1. Sam. 7. 2. Sam. 24. 2. Reg. 18. 23. 1. Esd. 9. 10. &c) quando pœna legis violatæ per gratiam fuit abrogata, ac populo condonata transgressio. Sicuti autem semper facere instituit Deus prioribus istis seculis, ita quoq; in fine seculorum, nouissimis illis regni Iudaici diebus per Ioannem, deinde per Christum & apostolos gratiam suam hominibus obtulit, iubens eos agere pœnitentiam & quærere regnum Dei, vt venturam

turam iram effugerent & seruarentur. Hæc reconciliatio cum in exulceratissima tempora inciderit, ac vberrimos gratiæ Dei thesauros ostenderit, ei præcipuè populo, qui antea sine Deo & promissione fuerat (Christum enim sui non receperunt, præter paucos admodum, si cum reliqua multitudine comparentur) Noui & melioris testamenti notione, quòd in melioribus promissionibus sit positum ad illius Babylonici imitationem, vbiq; celebrata est.

Sicut autem prophetæ eiusmodi, qui pœnitentiam prædicarunt, vt plurimum externa quædam adhibuerunt signa, quibus tum vocationem suam confirmarent, tum voluntatem Dei, vt symbolo aliquo, adumbrarent. Ita & Ioannes baptismum aquæ adhibuit, vt admoneret ipsos peccatorum sordibus plurimis contaminatos, lotione indigere & emundatione, id quod post eum fecit & Christus, & discipulis vt facerent præcepit, neq; verò Iudæis hæc res noua aut inusitata accidit, vt plerisq; scriptorum existimare libuit, nusquam enim Io

119/b

annem reprehendisse leguntur, quòd baptisaret, sed quòd prophetæ eiusmodi libertatem sibi vsurparet, cũ interim nec Eliam, nec Christum, nec prophetam illum profiterentur, facilè cõcessuri, si horum aliquid de se prædicaret. Asueuerant enim legalibus baptismis, qui ad emundationem carnis instituti erant à mo se, ideoq; ritus ipse nihil habuit noui, nisi quòd hic finis alius esset. Institutum enim fuit Ioannis baptisma ad pœnitentiam in remissionem peccatorum, etiam contra conscientiam admissorum, cum illa baptismata pollutiones saltem tollerent non voluntarias, vt si quis cadauer, si vestem immundam, aut aliud aliquid casu attigisset, ei purificato ista ratione liceret in cœtum populi redire. Leui. 15. Num. 19. Deut. 29. Ab his legalibus baptismis mutuantur prophetæ locutiones illas, cum iubent lauare corda & abstergere immunditiem. Nec vana omnino coniectura est baptismum pœnitentiæ, quo Ioannes vsus est, sicuti saccus & cinis ante Ioannem quoq; fuisse vsu receptum, quando Israelitę leguntur hausisse aquam

aquam & effudisse coram domino ac ieiunasse die vno. 1. Sam. 7. qua in re magna baptismi huius similitudo ab omnibus interpretibus esse iudicatur.

At istud nullo pacto concedi potest, quod quidam fabulãtur baptismum circumcisioni successisse, eamq; abrogasse. Quid enim animi futurum fuisse Iudæis existimabimus, si omissa circumcisione quam in omnes generationes obseruare iussi sunt, ad baptismum Ioannis, idq; sine miraculo & peculiari testimonio Dei imitati essent, præcipuè cum summum legis zelum præ se ferrent, adeò vt Christum eo solo prætextu in crucem egerint, quod se templum demoliturum dixisset. Nunquam illi sine graui contentione passi essent sibi extorqueri id, quo solo apud alias gentes gloriabantur, vt ne dicam, quod res ipsa declarat, factum id non esse, cum aliquot post ascensionem Christi annis Timotheus à Paulo fuerit circumcisus. Act. 16. & 3. qua enim necessitate id facturus erat Apostolus, si non amplius Iudæi fideles circumcidebantur. Vnde planum fit, hominum id

esse

esse commentum, tolerabilius futurum non nihil, si gentibus loco circumcisionis impositus diceretur baptismus, quanquam cum ñnes sint diuersissimi, ne id quidem potest consistere, nam illa Abrahamo erat signaculũ iustitiæ eius, quam in præputio acceperat, posteritati verò signum generis Abrahamici, de quo vt in singulis masculis obseruaretur, manifestum extabat verbum Dei. Baptismus verò fuit signum pœnitentiæ in remissionem peccatorum, quem finem circumcisioni dare nullo modo possumus, cuius enim peccati pœnitentiam agat infans octo dierum? Quare cum scriptura dicendum est, baptismum datum fuisse in signum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, nec successisse circumcisioni, vt eam abrogaret, sed coniunctum apud Iudæos circumcisioni, apud gentes sine circumcisione, conuersionis ad Deum præbuisse testimonium iis, qui meum pœnarum ab ira ventura se conarentur subducere.

Qui igitur à pœnitentia baptismum sic separarunt, vt post elapsum pœnitentiæ tempus

tiæ tempus, illum vsurpari posse censerent, perinde fecerunt, ac si sponso puellam lugenti, nuptialem vestem induerent. Tum enim lugendum esse, ac agendam pœnitentiam prædicabat Ioannes, Christus & apostoli cum vrbs adhuc staret, cum arbor adhuc radice teneretur, adiecta interim ad truncum securi, cum nondum esset effusa phiala furoris domini. At postquam euersa fuit vrbs, & dispersus populus, quis locus pœnitentiæ ad euitandum quasi imminens malum relictus est?

Niniuitæ denunciata ira Dei in cinere & sacco ieiunant, remissa pœna & conseruata ciuitate, non id faciunt amplius. Dauid dum spes est conseruandi pueri, se affligit, vbi mortuum esse intelligit, pœnitentiæ finem imponit. Hoc tamen obseruandum est, pœnitentiam aliaq; eius signa, vt sunt saccus, cinis, ieiunium, &c. multò latius patere baptismo, illa enim repetita esse legimus, baptismum nõ legimus, alioquin & Petrum post pœnitentiam retingi oportuisset. Nam quod Ephesii discipuli retinguntur, id alia de cau-

121/b

causa fit, quod videlicet ab æmulo aliquo Ioannis baptisati essent, qui de Christo nihil sciuerat aut docuerat, cum Ioannes suos ad illum ablegare consueuisset, & fuisse eos gentiles ex ipsorum verbis colligitur, eò quòd nesciant an sit spiritus sanctus, quæ ignorantia in nullum Iudæum potuit cadere, nihil itaq; mirum est si illi in Christo non baptisentur, qui de illo & spiritu eius nihil planè sciebāt, at hic illud saltem disputatur an, quoties pœnitentiam egerunt, toties eos baptisari oportuerit, id quod nec exemplo, nec mandato vllo ex scripturis confirmari potest.

Qui verò Ioannis baptismum vt inferiorem ad tempus saltem durare debuisse contendunt, vt Christi baptismus perfectior maneret perpetuò, illi parum scitè duos baptismos aquæ vt diuersos opponunt, cum eodem vterq; fine administratus fuerit, in pœnitentiæ videlicet signum ad remissionē peccatorum, nam cum Ioannes testatur se aqua baptisare, Christum eos baptisaturum spiritu sancto, non simpliciter suum baptismum spiritu

spiritu sancto destitui dicit, quomodo enim pœnitentiā et remissio peccatorum sine spiritu sancto existeret? Sed loquitur de donis illis & χαρίσμασι spiritus, quæ neq; in apostolorum baptismo ante Christi glorificationem conspecta fuerunt, sed post illud tempus tandem emerserunt, interdum in baptismo aquæ, interdum ante baptismum, interdum cū impositione manuum, alioquin cum illi ipsi, quos Ioannes aqua tinxerat, spiritu sancto baptizari debere dicant, si de baptismo aquæ sermo esset, omnino illos à Christo retingi oportuisset, cui rei nulla scriptura perhibet testimonium.

Quod de Baptismo dictū est, de manuum impositione, vnctione olei, & aliis eiusmodi donis, iure dici potest, ad tempus videlicet ea durare debuisse, collectis enim in regnum Christi fidelibus omnia ista cessarunt, ac horrenda pœna consecuta fuit, quæ contemptores Dei & filii ipsius atrociter afflixit, quam euitare poterant, si Iesum recepissent, & fructus pœnitentiæ dignos ostendissent, & si vrbs illa, quæ ad pacem eius futura

fuerant

fuerant cognouisset, quod postquam neglexit pœnæ comminatio proximè subsequitur, non mansurum lapidem super lapidem, venturos hostes &c. Lucæ. 19. Quam sententiam exustione palearum ac zizaniorum alibi enunciat Math. 13. Mar. 3. Et Ioannes sub ventura ira complectitur, perditis itaq; homicidis istis, pœnitentia prædicari desiit & Baptismus vsum amplius habere non potuit. Quare summa fuit insscitia, post peruagatam iam vbique pœnam, ad quam euitandam pœnitentia prædicata & Baptismus institutus fuerat, Baptismum retinere inter fideles, quos nulla eiusmodi iræ denũciatio prostrauisset, nõ aliter quàm si filii, sano corpore, post mortem patris absq; medici iussu catapotia sumerent, eò quòd patrem ægrotum ad depellendum morbum illis vsum esse audiuissent, & nos frustra ostentamus signa, cum res consequi solitas exhibere nõ possumus: frustra fidem iactamus eandem, cum ea non habeamus, quę habituros credentes suo tempore Christus promittit Mar. 16. Ita Papa vnctionem retinet, ita impositionem

positionem manuum, quæ æquè ridicula est, nisi pro testimonio vocationis saltem vsurpetur.

Ad Gentiles si transeamus, reperiemus eadẽ ratione, qua Iudæis, ipsis quoque Baptismum pœnitentiæ fuisse prædicatum, missis ad illos nouo & inusitato more apostolis, vt cum sine lege peccassent, sine lege quoque se damnatum iri scirent, nisi resipiscerent. Qualia enim illorum fuerint opera, multis locis ostendit Paulus (1. Cor. 6. Act. 16. Eph. 2.) Nunc fermentum vetus appellans, nunc ignorantiam, nunc carnis concupiscentiam, &c. Quam gentium voluntatem 1. Pet. 4. probè expressam legimus. Et quanquam nullam certam pœnæ speciem, vt Iudęis euersionem, illis comminatur scriptura, tamen nõ rarò illis quoque ira Dei denunciatur, sicut Paulus 1. Cor. 10. palam disputat, Deum ipsos æquè puniturum vt Iudæos, & constitutum esse diem, quo orbis iudicandus esset per virum, quem ille definiisset, Athenensibus demonstrat. Quòd si prophanas historias consuluerimus, animaduer-

temus apud illos, famem, pestem, bella, terræmotus, incendia & omnia malorũ genera, quæ florentissimas prouincias & vrbes, in quibus Euangelium Dei prædicatum fuit, horribiliter vastarunt. Hoc ministerio cum perfuncti apostoli, non ad successores id transmittunt, vt continuata opera ipsi quoque baptizent (cum enim semel negligitur visitationis tempus, Lucæ. 19. sequitur templi vastatio & fatuæ virgines serò pulsantes audiunt, nescio vos, nec semper manet illud acceptabile tempus (2. Cor. 6.) & hora salutis, saltandum est tum, cum fistulam audimus, vt ait Christus Math. 11.) sed iubent eos adhortari ad pietatem, manere in doctrina, quam didicerant, cauere hæreses & schismata, & vt hoc rectius facere possint, præscribunt in sua cuique vocatione, quid facere, quid vitare debeant, sicut epistolæ ad Timotheum & Titum docent.

In hac gentium receptione eo illustrius est Dei beneficium, quo maioris & plioris fuit gratiæ in populum adoptare eos, qui populus non fuissent, qui sine

Deo,

Deo, christo, promissione & testamento antea vixissent, quàm filios testamenti in viam reuersos, vnde exorbitauerant, recipere. Idem enim illis Deus tum præstitit, quod antea Abrahamo, cum pro iustitia ipsis imputauit fidem Christi, sic vt posteritas ipsorum omnis & diceretur & esset sancta, munda, & Christiana, quemo enim ex Christianis parentib. nascitur Iudæus, aut Ethnicus, etiamsi peccet atrociter, sic Manasses non desinebat esse semen Abrahami sanctum, quoad originem, quantumuis esset impius.

Itaq; falli necesse est eos, qui per baptismum Ecclesiæ putant inferi fidelium liberos, vbi ad adultam ætatem peruenerint, cum ab infantia in timore domini educati, iamtum in Ecclesia Dei sint. Quid enim est aliud in ecclesia esse, quam sanctè & innocenter viuere? Nec sine causa Paulus 1. Cor. 7. eos vocat sanctos, etiamsi ex altero saltem parentum fideli nati sunt, quæ sanctitas nulla esset, si per baptismum oporteret tam quæri. eodem enim modo gentilium quoque liberi sanctificantur, neque vero ideo sancti dici

 possunt,

possunt, quod censeantur legitimi, quis enim vnquam audiuit spurium dicieum, qui ex infidelibus esset ortus parentibus, aut ex impari coniugio, siue ἑτεροζυγια, vt quibusdam appellare placet?

Neque istud colorem vllum habet, vt propter educationis pię occasionem sanctos dici putemus, nam idem Ethnicorum liberis contingere potest, vt fideli alicui tradantur educandi, grauior itaq; causa sit, necesse est, cur fidelem coniugem Paulus ab infideli temerè nolit discedere, quę & ab ipso ponitur expressè, quod videlicet fidelis infidelem sanctificet, at non ita vt infidelis sine pietate & fide saluus fiat, sed hactenus saltem vt gignant sanctos & Christianos liberos, q non vt immundi & Ethnici ex Ecclesia eiici debeãt, sed in ea educari & institui. Iam quid potest fingi immanius, quàm eos, qui Ecclesiæ Dei nascuntur filii, quantum quidem in nobis est, inde eiicere, & pro impuris gentibus habere? Damnamus Papam crudelitatis, quòd puerperas immundas, hoc est, vt ipsi interpretantur, sub Diaboli potestate positas iudicarit,

dicarit, ac ob id infanti baptizando exorcismum adhibuerit, veluti à legione dæmonum obsessus esset: at quanto nos sumus saniores, si adolescentem annorũ fortasse 12. aut 15. qui in Ecclesia natus, piè educatus est, & deum timere didicit, Ethnicum iudicamus, eò quòd baptizatus nondum sit, quem si contingat mori, non dubitemus pereuntibus annumerare? Nec quicquam obstat, quod is, qui piè educatur, sępissimè degeneret & peccet, nam, si ob id baptizandus est, quod cum esset in Ecclesia, peccarit, quid illis faciemus, qui cum ex Iudaismo aut Paganismo per baptismũ in Ecclesiã recepti essent, peccant nihilominus? an retingendos esse dicemus? Quod si sic sentimus, quo exemplo, imò verò quo mandato id faciemus? Non'ne illis pœnitentia sufficerit, nisi Deus prophetam aliquem cum speciali mandato suscitet, qui ceremonias certas, in signum pœnitentiæ vsurpari præcipiat? Cur ergo non eadem æquitate hic vtimur erga eos, qui filii Ecclesiæ nati, non recens adoptati sunt, vt pœnitentiam illis sufficere dicamus? nisi

fortè & Galatas reiungi oportuisse contendamus, qui ab Euangelio ad Iudaismum defecerãt, aut leuius existimemus deficere ab Euangelio, quàm iudicii imbecillitate, qualis in adolescentibus est, prolabi.

At mandatum, inquit aliquis, est vniuersale: Baptizate omnes gentes, qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Equidem ita esse non inficiamur: verùm istud demiramur, cur præter mentem Christi alio libeat detorquere verba, & ad posteritatem extendere id, ꝙd illi vni tempori datum esse, supra ostendimus? Cur non eadem opera signa, quæ baptizatos consequebantur, nobis tribuunt? Cur non eadem necessitate nobis applicant, quod Paulus de suis auditorib⁹ dicit 1. Cor. 14. Volo omnes vos linguis loqui, vnusquisq; vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, reuelationem habet, linguam habet, interpretationem habet & cæ? Aut vt similius exemplum afferam, non'ne generale mandatum erat, vt omnes, qui vellent iram angeli vastatoris euadere, postes sanguine agnino

gnino sanguine aspergerent. Exod. 12? Neque tamen legimꝰ vllo deinceps tempore, in hunc finem Phase mactasse, vt angeli gladium euitarent, qui nullo tum metuebatur. At mactarunt interim? Mactarunt omnino, at tanquam memoriale liberationis Aegyptiæ, sed ex mandato Dei; quale nullum de baptismo aquæ extat, vt videlicet posteritas eo admoneatur de maiorum suorum receptione, ꝙd cum ostensum fuerit, concedemus eum retineri oportere, idq; memoriæ, non salutis causa.

Non'ne & illud erat generale mandatum Numer. 20. vt, qui serpentini morsus venenum euitare ac viuere vellet, is serpentem aspiceret æneum? Cur igitur in aliis periculis, non ad eum eo fugerunt? Cur Dauid non proponit eum populo, cum peste miserrimè cõficeretur? Aut cur non aspersionem aguini sanguinis repetere iubet, vt percussoris illius quoque angeli declinaret gladium? quia sciebant nõ sibi in manu esse, quid in pœnitentiæ signum, aut in calamitatis remedium vsurparent, cum Deus id in sua po

126/b

teſtate et arbitrio eſſe vellet. Cur nos igi tur ſine mãdato ſpeciali, vetus illud ſym bolum arripimus, nec in hunc ſaltem fi- nem, vt pœnitentiam teſtemur, verũm vt in eccleſiam Dei nos inſeramus, qua, ſi antea ſine Deo, & promiſsione fueri- mus, nulla planè re à Turca aut Iudæo di ſtincti? qua re, quid poteſt eſſe miſerabili us?

Quare vt mandatum eſſe vniuerſale non negamus, ita illi tempori vniuerſale eſſe contendimus, ad poſteritatem autẽ negamus quidquam pertinere, quæ ſi ba ptizanda quoque fuit, mandato id ſpeci ali præcipi oportuit. Nam pluſquam ab- ſurdum eſt, de re præcipua, quę ex impio pium, ex Ethnico Chriſtianum, ex cane filium Dei facit, nihil eſſe planius ab A- poſtolis perſcriptum. Si ad omnes ætates pertinuit, cum tamen de educatione liberorum Paulꝰ diligenter præceperit, nullius vnquam baptiſmi facta mentio- ne vt Epheſ. 6. Educate liberos in diſci- plina & correptione domini.

Sed inſtant tamen acrius Baptiſtæ o riginale peccatum obiectãtes, quod per baptiſmum

baptiſmum tolli oporteat, verum ſi ne- gemus in eum finem inſtitutum eſſe ba- ptiſmum & prædicatam pœnitentiam, vnde id ipſi probabunt? Aut ſi illi tem- pori remedium conceſsũ eſſe fateamur, quid eſt, quod neceſsariò ad hæc noſtra tempora transferri cogat? Nam vt de- mus etiam nunc illud peccatum omnes ſecum adferre, non tamen interim effici- tur illud, baptiſmo nunc quoque elui o- portere, nõ magis quàm gladius angeli, ſanguine agni, depelli debuit Dauidis tẽ pore, eò quòd Moſis tempore ita factũ eſſet, quis enim Deo ſcribat legem, eoſ- dem morbos iiſdem, an diuerſis remedi- is curare debeat?

Sed finis, vt diximus, Baptiſmi aquę non hic fuit, vt originale peccatum tol leret, Paulus certè Roma. 3. Heb. 9. re- miſsionem præteritorum peccatorum prædicat, quæ ſub priori teſtamento à Iudæis erant commiſsa, à gentibus abſ- que lege, quæ qualia fuerint, commemo rat Rom. 1. & totius diſputationis ſeri- es damnat, non infantes, ſed legis tranſ- greſsores, fures, adulteros, idololatras,

1276

ebrioſos & alios, qui facto ipſo peccato-
res deprehenduntur. Addo hic, quod ſcri
ptura nulla, originale peccatum agno-
ſcit, nam quod obiicitur: Cor hominis
malum eſſe à iuuentute, & Dauidem in
peccatis natum eſſe, & in iniquitate con
ceptum, id aliolonge ſenſu dicitur, quàm
ab ipſis intelligitur, eſt enim Hyperbole
qua procliuem ad peccādum voluntem
exprimit, quaſi dicat, vt primum ad eam
ætatem perueni, quæ legis tranſgreſſo-
rem me conſtituere potuit, feci malum
coram te, neq; hæc noſtra eſt interpreta-
tio, ſed ſcripturæ ipſius, cuius perpetua
talis loquendi cōſuetudo eſt, vt cum Pau
lus dicit 2. Tim. 3. ab infantia noſti ſacras
literas, cum Dauid Pſal. 57. prædicat,
peccatores à vulua alienatos eſſe, erraſſe
ab vtero & locutos eſſe vana. Quis di-
cat infantem in vtero ſcire ſacras literas
aut mentiri poſſe? Imo quomodo Dauid
ſibi conſtabit, qui ſe ab vtero proiectum
eſſe in Deum fatetur? Tu, inquit Pſal. 21.
Spes mea es ab vberibus matris meæ, &
Deus meus à ventre matris meæ. Ergo
ne idem in vtero peccauit, & ibidem in

Deo

Deo ſperauit, tam contraria præſtans o-
pera? Ergo ne dum fugeret vbera, intel-
lexit, quis eſſet Deus Iſraelis? Ita Ioan-
nes ab vtero dicitur impletus ſpiritu ſan
cto Luc. 1. Quare inſcicia eſt, neglecta
phraſi ſcripturæ, extruere dogma Eccle
ſiæ Dei inauditum. Simili iudicio & illud
opponitur, qd de Iudæis ſcribit Eph. 2.
eos olim fuiſſe filios iræ natura, ſicut &
gentes, non enim Paulus diſputat de pec
cato originis, ſed quod factis Deum non
minus offenderint quàm gētes, ſicuti Ro
ma. 1. luculenter oſtendit: Ambulauimus
inquit, in deſideriis carnis, implentes de
ſideria cogitationum noſtrarum, quod
an infantibus conueniat, non dubitamus
ipſos aduerſarios ferre iudices. Eſt itaq;
natura iræ filius, ſeu natura damnatus,
non ex natiuitate, ſed verè & reipſa dam
natus, propter legis tranſgreſſionem, ſi-
cuti Gal. 4. natura dii eſſe negantur, qui
verè & reipſa dii non ſunt, non qui ex na
tiuitate dii non ſint. Quam enim Deo
noſtro, qui Deus verus & ſolus eſt, natiui
tatem dabis?

Vnde ergo, inquiunt iſta mala? non'

ne ex

ne ex concupiscentia, quæ nobiscum nascitur? Imò non'ne in vno Adamo, ex quo peccatum transiit in omnes, moriuntur omnes? Verùm illos vicissim interrogare libet, vtrum concupiscentia, quam vt alios affectus Adamo indiderat Deus, fuerit simpliciter mala, an verò habuerit se ita, vt in alter vtram partem ferri possit? Quorum hoc si datur, vt dari necesse est, quid causæ est, cur in posteritate ea damnetur simpliciter? Ergon'e affectus alii quoque ob id vitiosi sunt, quòd illis homines abutantur creberrimè? Ineptè itaque colligitur, oculos simpliciter esse malos, quia benè & malè illis vtamur. Ineptè damnatur homo simpliciter, quia multi, qui sine legibus, sine disciplina & pietate educantur, sint flagitiosi & concupiscentia abutantur. Pauli verò sententia longè est alia, quàm vt de originali peccato accipi possit, non enim de infantibus ille suscepit disputationem, quales nascantur, sic de transgressoribus legis, furibus, homicidis, adulteris & similibus, qui opera carnis fecerant, quæ Rom. 1. Galat. 5. 1. Cor. 6.

Cor. 6. 1. Petr. 4. & alibi enumerat. Deinde aut de morte corporis naturali, aut de morte æterna verba illius accipi necesse est, si de morte naturali, falsum est, quod ab ea per Christum simus vindicati, sin de morte æterna, illi non omnes sunt obnoxii, quòd multi iustitiæ & innocentiæ habeant testimonium, nec ab ea præter credentes quisquam exemtus est, huc adde quòd Paulus de suo tantùm tempore loquitur, quomodo Deus homines iustificet, non quomodo Abrahamus, aut alii ante illum sint iustitiam cõsecuti. Cum itaq; viuificatio illa sit paucorum, & si omnes dicantur viuificati per Christum, ideo in peccantibus quoque vox generalis (omnes) ad eos tantùm extendenda est, qui flagitiis eiusmodi fuerunt infames siue Iudæi illi essent, siue Græci; vt intelligamus, quotquot mortui sunt, illos ex Adamo esse mortuos, qui illum peccando imitati & secuti sunt, siue id sine lege, siue lege proposita fecerint, & quotquot iustificabantur, vtriuscunque tandem essent populi, eos non nisi per Christum iustificatos esse.

esse. Quod cum ita sit, vt esse confitebitur, quisquis Paulum diligentius inspexerit, cum, quæ distincta temporibus esse Deus voluit, confundere ineptum atque etiam impium sit, cum ad illud tempus, quo præcones illi pœnitentiæ, viuebant, baptismus aquæ pertineat, cum circumcisioni nequaquam successerit, cum pœnæ peccatorum, ad quæ eluenda baptismus hic institutus fuerat, iam olim multa secula transierint, cum fidelium liberi sancti sint, & in ipsa Ecclesia nascantur, nec sine barbara immanitate Diabolo adiudicentur, idq; cõtra verbum Dei, nisi baptizentur, cum originale nullum in scripturis sit peccatum, quod baptismo elui oporteat. Cum hæc, inquam, omnia sint plana facta, idq; quàm fieri potuit breuissimè, intelliget vnusquisq; facilè, quàm facturus sit ridiculè, qui nostro tempore adultorum baptismum, vt in Ecclesia Dei necessarium, defenderit.

FINIS.

TRACTATVS SEXTVS.

THESES DE DEO TRINO IN PERSONIS, VNO IN ESSENTIA,

ex eius fundamentis desumptæ.

IOANNES SOMMERVS LECTOR SCHOLAE Claudiopolitanæ, Christiano Lectori S.

DIV multumq; hactenus de Deo vno Trino, idq; cum summa animorum contentione disceptatũ est, sed fructus non idem vtrinq; consecutus. Vt enim nostrorum animi facti sunt nõ paulò cõfirmatiores, ita aduersariorũ multi quidem facti sunt obstinatiores, siue quòd eos cedere pudeat, siue quòd melius non intelligant.

intelligant. Alii verò cum scripta apud Euangelistas & apostolos non reperiãt, quę pro confirmatione dogmatis afferũ tur, animi pendent, eò quòd non satis sciant vnde interpretationes illorũ sint haustæ. Putaui itaque me operæ preciũ facturum, si paucis thesibus comprehen sa illorum doctrina authores ostenderẽ, à quibus ista omnia accepta sunt. Quandoquidem & inter ipsos multos esse nequaquam dubito, qui nihil minus sibi persuadent quàm se Platonis doctrinam pro Christi Euangelio defendere, & nostrorum quoque multi sunt, qui in horũ authorum lectione non adeo sunt versati. Græcia propter philosophiæ studiũ, Christi & apostolorum tempore florebat admodum, & sectarum authores prę cipui erant Chrisippus, Plato, Aristoteles, &c. quorum opiniones qui ignoraret, in eruditis nequaquã numerabatur. Ex illorum scholis cum multi ad Christum accederent, ne cum vulgo communem haberent doctrinam, studuerunt Euangelium cum Platone cõciliare, quod ipsis perquàm videbatur facilè, cum vtrinque

trinque easdem voces verbi, spiritus, animæ, principii, &c. quanquam sensu diuersissimo reperirent, vnde & Paulum verisimile est queri quòd Græci requirerent in ipso sophiam, quod coniectare licet ei, qui Dionisii illius, quem Pauli fuisse discipulum volunt, scripta legerit. Amelius Philosophus Platonicus, discipulus Ammonii, cum legisset initium Euãgelii Ioannis, exclamauit: Dispeream ni barbarus ille (nam ipse Græcus erat) breuiter complexus est, quę de diuina ratione, principio, & dispositione, diuina Plato, & Heracletus tradiderunt, vt Postellus libro 1. capite 3. refert.

Talia fuerunt initia: subsecuta tempora, omnia magis ac magis corruperunt. Quod etiam in libro Lactancii manifestè videri licet. Benè vale Christiane lector: Ex his paucis totum dogma, ex digito (quod aiunt) palmum æstima ac obstupesce. Claudiopoli. 1571.

PRIMA THESIS.

Vnus est Deus pater, filius, & spiritus sanctus in essentia indiuisus, tribus personis distinctus, iuxta illud. Hi tres vnum sunt.

PROBATIO.

Plato in Timæo. Ex essentia indiuidua, & semper secundum eadem se habente, & rursus ex diuidua tertiam speciem ex ambabus mediam commiscuit, quę rursus & eiusdem, & alterius naturā haberet. Et acceptis his quæ tria essent, omnia in vnam ideam cōmiscuit. Idem epistola sexta, Adiuretis Deum omnium ducem, tum eorum quæ sunt, tum quæ futura sunt, & ducis ac causæ patrem dominum. Ecce Trinitatem, patrem, ducem, & causam. Marsilius Ficinus.

SECVNDA THESIS.

Hi tres simul sunt creator cœli & terræ, non pater tantùm.

PROBATIO.

Aristoteles octauo Physicorum. Tribus regitur mundus, motore non moto, motore moto, & moto non mouente, id est, ac si diceret, Pater increatus generat æternum filium, à quo & patre procedit spiritus sanctus, in quo est finis diuinitatis. Postellus de orbis concordia libro primo cap. tertio. Plotinus Enneade secunda libro nono, capite secundo. Tria sunt

sunt rerum principia, ipsum Bonum, filius eius intellectus ex paterna luce, luminis more manans, & mundi anima ex intellectu diuino velut spiritus per omnia profluens. Marsilius Ficinus in Timæo capite nono. Vniuersum hoc iudicant Platonici ab ipso bono per intellectū diuinum, qui boni illius filius est, animāq; vniuersi producere. Idem in summa Enneadis quintæ lib. 2. Bonum includit paterna fœcunditas, intellectum, intellectualis filii emanatio, animam, processio spiritus per voluntatis modum.

TERTIA THESIS.

Pater æternus intuens seipsum gignit filium imaginem suam, lumen de lumine.

PROBATIO.

Plato in Timæo. Opifex ille pulcherrimi & optimi, perfectissimum Deum genera uit. Plotinus Enneade tertia, libro octauo, capite decimo. Qui mundū intelligibilem intuetur, eū oportet effectorem eius diligenter inquirere quisnam ille sit, vbi, vel quomodo talem genuerit filium, intellectum, puerum purum, &

rum, & formosum, filium inquam à patre plenum.

Idem Enn. sexta, libro octauo, capite 18. Quale enim est id quod est in mente, tale fermè cogitatur quod est in vno aliquo, quamuis sit longè præstantius, perinde acsi lumen longè diffusum ex vno aliquo in se manente, penitusq; perspicuo prodeat. Vbi profectò quod est diffusum, alterius est imago. Illud autem vnde hoc emicet lumen, est procul dubio verum, non tamen imago diffusa aliena est, & dissimilis formæ.

QVARTA THESIS.

Filius lumen de lumine, & imago patris dicitur, quia essentiæ illius est particeps.

PROBATIO.

Plato in Timæo. Imaginem in alio fieri conuenit, ita vt essentiam quoque vsurpet quodammodo, aut ipsa penitus nihil sit. Idem in definitionibus. Generatio est motus ad essentiam, assumptio essentiæ, progressio ad hoc vt sit. Marsilius Ficinus in Timæo capite decimo. Imago boni sic pendet à bono, sicut lumẽ extra

extra solem, à luce intra solem, quæ fundit ex se splendorem sicut lumen.

QVINTA THESIS.

Cum filius sit principium oportet esse æternum sine alio principio temporis, non factum.

PROBATIO.

Plato in Phædro. Principium factum non est, ex principio necesse est quicquid fit, fieri, ipsum verò ex nullo. Si enim ex aliquo fieret, non vtique ex principio fieret, & cum factum non sit, etiam corrumpi non potest.

SEXTA THESIS.

Hic logos creauit quoque cœlum & terram cum spiritu sancto & gubernat omnia.

PROBATIO.

Plato in Timæo. Intellectus vel ratio filius boni est architectus mundi. Idem in Epinom. Ratio diuinissima, vel verbum diuinissimum mundum constituit visibilem. Idem in primo de Legibus. Anima quæ Deus est, adiungens sibi mentem, quæ & ipsa Deus est. Semper rectè & fideliter gubernat omnia. Idem

in Cratylo. Mens & anima omnium aliarum rerum naturam dispensat. Ibidem Anaxagoras dicit. Mentem Imperatorem summũ existentem, & nulli permixtam exornare res per omnia transeuntem. In Philebo. Omnes sapientes consentiunt quòd mens sit Rex cœli & terræ. Ibidem. Dicimus mentem & prudentiam quandam admirabilem componere & gubernare hoc quod vocamus vniuersum.

SEPTIMA THESIS.

Filius Dei habet in vna persona duas naturas, alteram diuinam ex Patre, alteram humanam ex matre, quarum illa immortalis est, hæc vero mortalis.

Probatur primò autoritate Homeri, qui dicit libro secundo. Herculem dimidiatum tantùm esse mortuum, & humanæ tantùm naturæ mortuæ idolum apud inferos esse, sed diuinam naturam cum cœlestibus accumbere.

Secundò probatur autoritate Luciani in dialogis mortuorum, vbi idolum Herculis rationem reddit quomodo duæ naturæ copulatæ sint. Interrogat enim

nim Diogenes sic. Per Herculem tuum dic quæso, dum ille viuebat, eras ne cum ipso etiam tunc imago existens? aut vnus quidem eratis in vita? Postquàm autem è vita excessistis separati, ille quidem ad Deos immortales aduolauit, tu verò vmbra illius ad inferos aduenisti? Hercules. Quicquid Amphitryonis in Hercule erat, id ipsum morte affectum est, quod nempe ego sum totum, quod autem ex Ioue erat, cum Diis immortalibus conuersatur. Diogenes. Perspicuè nunc intelligo. Dicis eadem vice Alcumenam duos peperisse, vnum quidem ex Amphitryone, alterum verò ex summo Ioue, ex quo factum est, vt gemini in vniusmatris vtero lçtaremini. Hercules. Nequaquam ô insane. Idem profectò eramus ambo. Diogenes. Neque adhuc intelligendum est facilè duos Hercules in vnum copulatos esse, hominem videlicet & deum. Hercules. An non homines eodem pacto componi tibi videntur animo videlicet & corpore.

Consonat cum his symbolum Athanasii, qui ducentis annis post floruit.

Quema-